



Per.  
Lat  
020

Latin ifjúsági folyóirat.

Lateinische Jugendzeitschrift.

Revue latine de la jeunesse.

Administrator (kiadóhivatal — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel.: 142—215).

Moderator (szerkesztőség — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR., Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268—634).

Prodit Budapestini quotannis decies. Pretium subnotationis an. 1938—39. in Hungaria 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Gyus (vulgo: chèque) aerarii comparsorum postalis in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium, unde simplex pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.

## 25 anni Societatis Litterarum Humanarum Hungaricae.

Ineunte<sup>1</sup> hoc saeculo in dies crescebat numerus fidem Christianam et litteras<sup>2</sup> humanas<sup>2</sup> non aestimantium. Quas defendendi causā conditae sunt primum Societas Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum, cuius sumptibus «Juventus» editur, deinde a. 1914 Societas supra dicta, quae brevius «Parthenon» nominatur. Haec societas optime de litteris et linguis antiquis propagandis meruit. Sic, cum Bimillennium Horatianum celebraretur, librum, qui<sup>3</sup> inscribitur<sup>3</sup> «Carmina Horatii selecta ad modos<sup>4</sup> aptata»,<sup>4</sup> 33 melodias continentem edidit, qui cantūs multis in civitatibus, quin<sup>5</sup> etiam<sup>5</sup> in America emuntur canunturque. Nuper societas conventu generali sollemni celebravit 25 annos feliciter expletos. In imagine nostra



dextrā sedet Colomannus Szily administer<sup>6</sup> a secretis,<sup>6</sup> qui pro Valentino Hóman ministro publicae institutionis absenti, publicis negotiis occupato, salutavit societatem, cuius merita laudibus extulit. Vir stans est praeses societatis, Aemilius Grósz, professor universitatis, qui oratione sollemni initium conventūs auspicatur.<sup>7</sup> Tertius ab dextera est Arnoldus Pataky, professor theologiae, pristinus rector universitatis Pazmanyanae, qui de

<sup>1</sup> elején = am Beginn = au début  
<sup>2</sup> klasszikus műveltség = klassische Bildung = les humanités  
<sup>3</sup> című = betitelt = intitulé  
<sup>4</sup> megzenésít = vertonen = mettre en musique  
<sup>5</sup> sőt = sogar = et même  
<sup>6</sup> államtitkár = Staatssekretär = secrétaire d'Etat  
<sup>7</sup> megnyit = eröffnen = ouvrir

vita Graecorum in «Actis Apostolorum» descripta disserens admirationem applausumque unanimum excitavit. Ab laeva sedet *Andreas Horváth* docens liber universitatis, secretarius societatis.



## LECTORIBUS MINIMIS.

### Jocosa.

1. *A.*: Nonne mirabilis est occasus<sup>1</sup> solis<sup>1</sup> hic? — *B.*: Reverā magnificus. Totam per noctem admirari possem.

2. *Discipulus I*: Carolus post studium duorum mensium iam linguā Britannicā facunde<sup>2</sup> loqui se dicit. — *Discipulus II*: Mentē non comprehendo. — *Disc. I*: Noli<sup>3</sup> admirari! Neque Britannii intelligunt, quae Carolus britannice loquitur.

3. *Mater*: Iosephe, festina! Ante portam iam currus manet te. — *Filius*: Si manet, cur prope-rem?<sup>4</sup>

*Ladislav Tamás* disc. Schol. Piarum Veszprimiensium.

1. *Birotularius*:<sup>5</sup> Dic mihi, fili! Scisne birotā vehi, an non? — *Puer*: Nescio. Nondum unquam in birotā sedebam. — *Birotularius*: Bene, bene. Teneas igitur, quaesō, birotam et custodias, dum in hac taberna emam, quae mihi<sup>6</sup> opus<sup>6</sup> sunt.

2. *Iudex*: Non pudet<sup>7</sup> te<sup>7</sup> facinoris? E coemeterio<sup>8</sup> birotas furari! Horribile! Quomodo tibi in mentem hoc venit? — *Reus*:<sup>9</sup> Simpliciter. Putavi dominum eius mortuum esse.

3. *Recte dixit*. Quaedam caterva<sup>10</sup> urbana rus venit. In viis circumspiciunt, sed nihil novi<sup>11</sup> vident. Denique compellant quendam rusticum: Domine, dic nobis, nihilne pulchri et varii sit in hoc vico? Hic nullus homo magnus natus est? — *Rusticus*: «Iam senex sum, sed meminī adhuc semper infantes<sup>12</sup> natos hic esse».

*Zoltan Tóth* disc. gymn. Jászberényiensis.

**Vinum bonum.** 1. Princeps e nobilibus Derby senex arthriti<sup>13</sup> (seu morbo articulari) horribili vexatus est, idquod Londinii fere omnibus notum erat. Aliquando a mercatore quodam vino negotiante nonnullae lagoenae<sup>14</sup> cuiusdam vini ad experiendum ei missae sunt, quod probatum remedium<sup>15</sup> morbi articularis esse dicebatur. Sed in locum<sup>16</sup> emptionis epistula huius argumenti ad mercatorem advenit: «Princeps e nobilibus Derby vinum ei missum expertus est. Vobis nuntiat, se morbum articulare vino praeferre».<sup>17</sup>

2. Mirabiles sunt viae fortunae. «Via ad fortunam adipiscendam». Hic erat nuntius<sup>18</sup> per ephemeridem<sup>18</sup> editus,<sup>18</sup> suppletus hac adnotatione: «pro missione viginti nummuli addantur». Et

sescenti<sup>19</sup> erant, qui miserunt pecuniam. Decepti sunt.<sup>20</sup> Litteras enim horum verborum acceperunt: «Quaerite, ut ego ipse, stultus, et — ut meus erat, sic etiam effectus<sup>21</sup> vester maximus erit».

*Ricardus Schaeffler* disc. gymn. monasterialis Ettalensis (Bavaria).

<sup>1</sup> naplemente = Sonnenuntergang = coucher de soleil  
<sup>2</sup> folyékonyan = fließend = couramment <sup>3</sup> ne csodálkozz! = wundere dich nicht! = ne t'étonne pas <sup>4</sup> siessek — soll ich mich sputen = me dépêcherais-je <sup>5</sup> kerékpáros = Radfahrer = cycliste <sup>6</sup> szükségem van = brauchen = avoir besoin de <sup>7</sup> szégyenled = sich schämen = avoir honte <sup>8</sup> temető = Friedhof = cimetière. <sup>9</sup> vádolt = der Angeklagte = accusé <sup>10</sup> csapat = Schar, Truppe = groupe <sup>11</sup> újság = Neues = de nouveau <sup>12</sup> kisdéd = kleines Kind = petit enfant <sup>13</sup> köszvény = Gicht = goutte <sup>14</sup> palack = Flasche = bouteille<sup>15</sup> ellenszer = Mittel = remède <sup>16</sup> helyett = statt = au lieu de <sup>17</sup> többre becsül = vorziehen = préférer <sup>18</sup> (újság)hirdetés = Inserat, Anzeige = annonce <sup>19</sup> permulti <sup>20</sup> becsap = betrügen = tromper, décevoir <sup>21</sup> siker = Erfolg = succès

1. **De homine contento.** Quidam princeps, qui hortum pulcherrimum prope Parisios habuit, in portam horti hanc inscriptionem palam<sup>1</sup> proposuit<sup>1</sup> «Hunc hortum homini plane contento do». Unus ex avaris<sup>2</sup> hominibus opulentissimis, qui voces blandas legit, ad principem festinavit declaravitque se suā sorte contentum esse. «Si tu» — inquit princeps ridens — «plane tuā sorte contentus esses, meum hortum non cuperes».

2. **Responsio ingeniosa.**<sup>3</sup> Quidam vir stolidus hominem quendam ingeniosum propter longitudinem aurium<sup>4</sup> derisit. «Profiteor» — inquit ille — «meas aures homini nimis longas esse; sed etiam tu cognoscere poteris, tuas asino valde breves esse».

*Stephanus Balázs* disc. Iosephini Jászberényiensis.

<sup>1</sup> közszemlére = öffentlich = au public <sup>2</sup> bírványó = habsüchtig = avare, rapace <sup>3</sup> szellemes = geistreich = spirituel <sup>4</sup> fül = Ohr = oreille

### Ioca de Cingaris.<sup>1</sup>

1. Dominus, cum ab ebrio<sup>2</sup> Cingaro equi temere agerentur, curru<sup>3</sup> effusus est.<sup>3</sup> «Etiam ille asinus est, exclamat irā<sup>4</sup> ardens<sup>4</sup> dominus, qui Cingarum aurigam<sup>5</sup> conducit.» — «Etiam ego hoc dico», respondit Cingarus.

2. Temporibus communismi Hispanici Cingarus in flumine Hiberno (vulgo: Ebro) se lavat. Gurges<sup>6</sup> tamen nandi<sup>7</sup> imperitum<sup>7</sup> rapit. In ripa milites communistae stant. Clamitat ad eos, ut eripiant. Illi tamen rem minime callere<sup>8</sup> se simulant nihil faciunt. «Vivat Franco!» exclamat tandem Cingarus. Statim ab illis iam ereptus et in ripa virgā<sup>9</sup> caesus est.<sup>9</sup>

3. Cingarus filiolum suum 6 annos natum tabaco<sup>10</sup> frui<sup>10</sup> conspicit. «Depone statim fumis-

<sup>1</sup> cigány = Zigeuner = Tziganer <sup>2</sup> részeg = berauscht = ivre <sup>3</sup> kocsijával felfordult = wurde mit dem Wagen umgeworfen = fut versé <sup>4</sup> haragra gyúlva = zornglühend = furieux <sup>5</sup> kocsinak felfogadni = als Kutscher dinge = engager comme cocher <sup>6</sup> örvény = Strudel = remous <sup>7</sup> mert nem tudott úszni = da er nicht schwimmen konnte = ne sachant pas nager <sup>8</sup> ért hozzá = verstehen = s'entendre à <sup>9</sup> megbotoz = durchprügeln = fustiger <sup>10</sup> dohányt élvezni = Tabak genießen = fumer

gium,<sup>11</sup> — increpat<sup>12</sup> illum, — vidisti-ne me sextum annum agentem iam tabaco<sup>13</sup> uti?<sup>13</sup>

4. Cingarus in quendam villam se devertit.<sup>14</sup> «Quid hic quaeris?», interrogant eum famuli. — «Modo haustum<sup>15</sup> aquae. Adeo enim esurio,<sup>16</sup> ut neque ubi pernoctem,<sup>17</sup> sciam.»

*Fel. Gondán dr. O. Cist. Bajanus.*

<sup>11</sup> pipa = Pfeife = pipe <sup>12</sup> ráförméd = anherrschen = apostropher <sup>13</sup> dohányozni = rauchen = fumer <sup>14</sup> betér = einkehren = descendre <sup>15</sup> korty = Schluck = gorgée <sup>16</sup> éhes vagyok = hungrig sein = avoir faim <sup>17</sup> hál = übernachten = passer la nuit

Joca discipularum thygatrogymnasii Kaposváriensis.

1. **Tentatio (seu examen) historiae.** A: Et quomodo successit<sup>5</sup> examen historiae Emerico?

B: Oh, valde male; sed id non eius culpa erat. Professor eius de talibus rebus interrogabat eum, quae illis temporibus gestae sunt, cum filius pauper meus nondum<sup>6</sup> erat natus.

*Agnes Kónyi.*

2. **Res<sup>7</sup> mitigans.**<sup>7</sup> Domina pendit pondus corporis sui trutinā<sup>8</sup> quādam automaticā in publico collocatā. Trutina 98 (= duodecentum) chilogrammata ostendit. «Duodecentum chilogrammata! — confirmat amica gaudio male dissimulato.»<sup>9</sup> — «Verum est — respondet domina superbe — at cum causia<sup>10</sup> et digitabulis.<sup>11</sup>»

*Blanca Tóbi.*

3. **Contumelia.**<sup>12</sup> «Quid doles anima mea?» interrogat uxorem singultantem<sup>13</sup> suam maritus ex officio<sup>14</sup> domum rediens. — «Mater tua vehementer iniuriā affectit me — queritur muliercula.» — «Quomodo?» dicit maritus. — Uxor: «Epistula venit ab ea tibi inscripta<sup>15</sup> et in fine epistolae hoc scripsit mater tua: «Gisela dulcis mea, noli oblivisci hanc epistolam Francisco tradere».

*Valeria Garay.*

<sup>5</sup> sikerül = gelingen = réussir <sup>6</sup> még nem = noch nicht = pas encore <sup>7</sup> enyhító körülmény = Milderungsumstand = circonstance atténuante <sup>8</sup> mérleg = Wage = bascule <sup>9</sup> titkol = verheimlichen = dissimuler <sup>10</sup> széles karimájú kalap = breitkrämpiger Hut = chapeau à larges ailes <sup>11</sup> keztyű = Handschuh = gant <sup>12</sup> becületsértés = Ehrenkränkung = offense <sup>13</sup> zokog = schluchzen = sangloter <sup>14</sup> hivatal = Amt = bureau <sup>15</sup> címezve = adressiert = adressée

4. **Quomodo peregrini<sup>1</sup> res nostras videant.** Nuper<sup>2</sup> adiit<sup>3</sup> me amica Austriaca, quacum aetatem praeteritam unā peregeram in oppido Müritzsteg. Quam cum aspexi, valde gavisus sum<sup>4</sup> et sicut illa tum gloriata erat<sup>5</sup> rebus visu dignis urbis Maria-Zell, pariter etiam ego superbire<sup>5</sup> volui urbe nostrā pulcherrimā Budapest. Circumduxi amicam in monte «Sanctus Johannes», unde pedibus in Collem Rosarum pervenimus. Imprimis Collis Rosarum placuit ei cum vicis suis puris et ordinatis villisque pulchris. Repente<sup>6</sup> hanc vocem misit: «Certe magnam in se habet delectationem hic habitare intus in urbe et tamen procul ab strepitu<sup>7</sup> eius. Sed quam mirum est tot possessores villarum eiusdem nominis his locis habitare!»

— Quid? — rogavi mirans.

— Etenim in ostiis hortorum paene omnium haec inscriptio in tabula legitur:

«Vigyázat. Harapós kutya!»<sup>8</sup>

*Elisabetha Hennyey.*

<sup>1</sup> külföldi = Ausländer = étranger <sup>2</sup> minapában = un-  
längst = dernièrement <sup>3</sup> meglátogat = besuchen = visiter  
<sup>4</sup> megörültem = sich freuen = se réjouir <sup>5</sup> büszkélkedni,  
dicsekedni = prahlen, stolz sein = se glorifier, se vanter  
<sup>6</sup> hirtelen = plötzlich = subitement <sup>7</sup> zaj = Geräusch =  
bruit <sup>8</sup> Cave canem mordacem!

5. **Astrologia.**<sup>1</sup> Amicam Ludovici XI. regis Francogalliae astrologus intra octo dies morituram esse divinavit.<sup>2</sup> Ludovicus XI. astrologo iratus est. Ad se eum arcessivit, postquam custodibus corporis sui dixit haec: «Si signum dabo, astrologum corri-



Veronica velum offert Christo (pag. 134).

pite et eiicite per fenestram!» Astrologo mox advenienti: «Quoniam tu — dixit Ludovicus XI. — ex astris res futuras perlegere posse te affirmas, dic mihi, quando tu moriturus sis?» — «Die tertio ante mortem Maiestatis Tuae» — respondit ille quietus. Rex posthac noluit signum compositum<sup>3</sup> custodibus suis dare, immo imperavit, ut aula tota curā singulari vitae carae caveret<sup>4</sup> astrologi.

*Ida Répceözölgyi.*

<sup>1</sup> csillagjólás = Sterndeutung = astrologie <sup>2</sup> meg-  
jósol = weissagen = prédire <sup>3</sup> megbeszélt = verabreden  
= convenir <sup>4</sup> óvni = Fürsorge tragen = entourer de  
précautions

## Carmina popularia Hungarica. V.

Latine reddidit *Margaretha Bertin* disc. Kaposvariensis.

*Alacriter*

Fe-ne-stel-lae vi-ri-des, Stultus es, si dis-suades, Nam amanti dis-sua-de-re non po-tes. *Finis.*

Heu, quae - si - vi iam sae - pe, Hanc pu-el-lam cur a-marem per - di - te ? *Ab initio ad finem.*

**De Petro Pázmány.** Duo monachi<sup>1</sup> venerunt ad Petrum Pázmány archiepiscopum<sup>2</sup> excellentem, ut stipem<sup>3</sup> peterent. Monachi in vestibulum ducti sunt, ubi expectandum erat eis, nam Petrus Pázmány intus multum negotii habuit. Petrus Pázmány extremum sub vesperem intravit in vestibulum. Duae candelae<sup>4</sup> in mensa accensae erant. Petrus Pázmány exstinxit protinus alteram candelarum, postea colloqui coeperat cum monachis. Monachi parsimoniam<sup>5</sup> maximam videntes, sine verbis foras ire voluerunt. Pázmány consistere iussit eos et interrogavit: «Quo vaditis?» — Monachi confessi<sup>6</sup> sunt: «Nos nullum speramus donum, nam Vestra Eminentia tam parca est. Qua de causa nolumus incommodare<sup>7</sup> vobis.» — «Erratis fratres; — dixit Pázmány. — «ob eandem ipsam causam, quia mihi curae sunt etiam tam parvae res, possum largius dare.» Tum monachos dimisit donis abundanter oneratos. Parsimonia est divitiarum fons.

*Aurelia Csató* disc. Nagykörsiensis.

**Björnsterne Björnson** (1839—1910) et **Henricus Ibsen** duo poëtae clari, quamquam amici erant, tamen uterque se ipsum credidit maximum esse poëtam Norvegiae. Aliquando Björnson in urbe ambulabat, cum custos<sup>8</sup> publicae<sup>9</sup> securitatis<sup>8</sup> appellavit eum: «Transi, domine in alterum latus viae, nam hic ire lege vetatur. Björnson indignabundus<sup>9</sup> exclamavit: «Quae impudentia est, me, poëtam Norvegiae maximum sic tractare!» Custos severe respondit: «Nihil meā<sup>10</sup> interest.<sup>10</sup> Etiam maximus poëta Norvegiae, uti regulae legis iubent, incedere debet, domine Ibsen!»

*Stephanus Bihari* disc. Stephanei Bp.

<sup>1</sup> szerzetes = Mönch = moine    <sup>2</sup> érsek = Erzbischof = archevêque    <sup>3</sup> alamizna = Almose = aumône    <sup>4</sup> gertya = Kerze = chandelles    <sup>5</sup> takarékoság = Sparsamkeit = économie    <sup>6</sup> bevall = eingestehen = avouer    <sup>7</sup> alkalmatlankodni = belástigen = importuner    <sup>8</sup> rendőr = Schutzmann = sergent de ville    <sup>9</sup> bosszúsan = ungehalten = indigné    <sup>10</sup> érdekel = es geht mich an = cela me regarde

## Andreas Fáy: Fabulae. (2)

Latine reddidit *J. Tóth dr.* Csurgonensis.

**3. Dolus vulpis.** Vulpes indigne<sup>1</sup> ferebat<sup>1</sup> in contionibus quadrupedum, quod consilia sua acutissima non audirentur. Ut incepit loqui, aut leo increpabat<sup>2</sup> vehementer, aut ursus<sup>3</sup> de modestia commonebat, minores autem cum maioribus acerbè irridebant. Tunc taurum affatur potentem: «Domine! Tu habes cornua terribilia et corpus ingens, ego autem mentem; faciamus societatem!»<sup>4</sup> Ita factum est. Vulpes tauro consilia dat, quae hic in contionibus cum dignitate gravissimā emugit,<sup>5</sup> ora<sup>6</sup> diducunt<sup>6</sup> omnes, approbant superi, favorem fremunt imi. Tantum callida vulpes rem ridet. — Amici, credere debetis non idem esse consilium in cuiuscunque ore. Usu cognoscebam, quia augetur ventre, corpore et potestate.

**4. Pan et Apollo,** «Relinque, senex, fistulam!»<sup>8</sup> affatur Panem<sup>9</sup> Apollo «iam obsolescebat.<sup>10</sup> En, hic sunt lyra, vel, cithara, vel fides, omnia musica instrumenta nobiliora sunt avena<sup>11</sup> tua vili». «Iam, fili bone — respondit Pan — ego gregi meo cano, hic autem avenae assuescebat!» — Omnes scriptores habent suos lectores.

**5. Rusticus.** Rusticus humili staturā in collem ascendeat. — «Quam parvus esse videris!» — clamabant comites. In altiore locum evadebat. — Nunc minor es! — dicunt ii. Tunc in cacumen<sup>12</sup> montis sursum enitens<sup>13</sup> superbe clamitabat: — «Nunc igitur qualis esse videor?» — «Nunc iam te videre non possumus» — respondebant sodales.<sup>14</sup> Quorum quidam prudentior: — «Mane — inquit — inter nos in terra, tunc certe aliquid esse videris.» — Haec parvis accidunt, qui magnos magistratus gerunt.

<sup>1</sup> bosszankodik = unwillig werden = être vexé, dépité    <sup>2</sup> ráförméd = anherrschten = apostropher    <sup>3</sup> brutalement, rudoyer    <sup>4</sup> medve = Bär = ours    <sup>5</sup> szövetség = Bündnis = alliance    <sup>6</sup> bögvé előad = herblöken = expose en mugissant    <sup>7</sup> szájat tát = Maul aufsperrten = écouter bouche bée    <sup>8</sup> siker = Erfolg = succès    <sup>9</sup> pásztorsíp = Hirtenpfeife = flûte    <sup>10</sup> deum pastorum    <sup>11</sup> divatját múlta = aus der Mode kommen = passer de mode    <sup>12</sup> nádsíp = Rohrflöte = mirliton    <sup>13</sup> csúcs = Spitze = sommet    <sup>14</sup> megmászni = erklimmen = grimper    <sup>15</sup> társ = Genosse = compagnon

**6. Procurator<sup>15</sup> et rusticus.** Rusticus commotus in cubiculum procuratoris irruit: «Domine procurator, vaccam tuam transfodit<sup>16</sup> vacca mea!» — inelamat vehementer. «Propterea quidem persolvere<sup>17</sup> debes!» — exclamat hic iratus. — «Id est... dicere volo... tua vacca, domine procurator, transfodit meam vaccam» — corrigit sermonem rusticus. «Sic est? — respondit lente procurator — quis, mi fili, culpam<sup>18</sup> rei<sup>18</sup> sustinet?»<sup>18</sup>

<sup>15</sup> ügyvéd = Rechtsanwalt = avoué <sup>16</sup> átdőf = durchstehen = passer (d'un coup de corne) de part en part <sup>17</sup> fizet = zahlen = payer <sup>18</sup> tehet róla = dafür können = à qui la faute?



## LECTORIBUS MEDIIS

### Iustitia.

Latine reddidit *Alad. Kővári* Kaposváriensis.

Adierunt olim regem Salomonem duo possessores vicini horrendam inter se inimicitiam gerentes. «Domine, — ait alter ad pedes regis procumbens — hic nefastus vectigalarium<sup>1</sup> tuum ducentis modii<sup>2</sup> tritici<sup>3</sup> fefellit.»

— Unde scis? — quaesivit Salomon.

— Ipse hoc gloriabatur — respondit accusator.

— Noli credere, maxime regum et idem sapientissime, — interrumpit eum alter vicinorum. — Ne unicum quidem granum illius unquam tritici reservavi, quod mihi legibus contribuendum erat. Quod si non credis, inspice agros meos et tibi ipsi crede non esse eos duobus annis tantum tritici laturos, quantum secundum hunc suppresserim.<sup>4</sup>

Salomo cogitare incepit, deinde sic est accusatorem allocutus: «Si vicinum tuum mihi ducentos modios tritici re vera suppressisse convincere<sup>5</sup> potes, tunc ille mihi ducentas libras<sup>6</sup> auri solvet.<sup>7</sup> Si centum modiorum convincetur, tum centum libras mihi, centum tibi solvet. Si quinquaginta, tunc mihi tribuentur 50 librae auri et centum quinquaginta tibi. Sin autem nullum modium mihi suppressit, tuae erunt cunctae librae auri.»

— O domine, — exclamavit accusator, totus id<sup>8</sup> agens<sup>8</sup>, ut ducentas libras auri solus reciperet — nullum ille modium fefellit.

Sed nunc accusatus, sibi omni ratione solvendum esse videns, ne inimicus aurum acciperet, maiore voce inelamavit: «Confiteor, domine, me vere mihi reservavisse 200 modios tritici.»

Salomo gentem suam ad sinceritatem educare voluit: «Recte est, — inquit. — Ergo ille, qui vestrum verum dixit, 200 libras auri a me insuper feret et ille, qui se mentitum esse confessus erit, totidem accipiet.»


— Domine — dixit accusator — semel verum dixi, sed, confiteor, semel mentitus sum, itaque quaeso te, ut librarum quadringentarum cunctas mihi des.

— Non est ita, domine, — superbe effatur reus<sup>9</sup> — hic nunquam verum dixit. Nam ego trecentos modios tritici fefelli.

<sup>1</sup> adószedő = Steuereinnehmer = percepteur d'impôts <sup>2</sup> véka = Scheffel = boisseau <sup>3</sup> búza = Weizen = froment, blé <sup>4</sup> elsikkaszt = unterschlagen = détourner <sup>5</sup> rábizonyít = überführen = convaincre <sup>6</sup> font = Pfund = livre <sup>7</sup> fizet = zahlen = payer <sup>8</sup> igyekszik = hinarbeiten = s'efforcer <sup>9</sup> vádlott = der Angeklagte = accusé

## Dextra Sancti Stephani Regis Wesprimii.

Dies sollemnis illuxit<sup>1</sup> a. d. IV. Kal. Mai. Wesprimii: nunc, post plus novem saecula rursus accepit dominum benignum, auctorem patriae, Sanctum Stephanum Regem. Tum ipse aderat inter muros huius urbis antiquae; etenim in campo ad



Ruinae «Villae Jovis» in insula Capreis, ubi Tiberius imperator senex libentissime morabatur (pag. 134).

Wesprimium, qui inde «Statio Castrensis» nomi, natur, opus maximum vitae suae: regnum Hungaricum Christianum perfecit, cum Koppanum, ducem supremum paganorum trans Danubium habitantium devicisset. Post victoriam Gisela regina aedi cathedrali et capitulo S. Michaëlis a rege condito cum monachabus viduisque vestes ecclesiasticas pulcherrimas paravit, quam ob rem Wesprimium in annalibus nostris oppidum reginarum appellatur. Nunc autem Dextra defendens, nunquam putrescens<sup>2</sup> animo Eius comitante ad nos pervenit. Incolae urbis et regionis propinquae commotione et admiratione sacræ reliquias et comitatum acceperunt. Viae vexillis ornatae et ab hominibus ardentem celebrantibus completae sunt. In statione primores ecclesiae, comitatūs,<sup>3</sup> urbis et militiae cum multitudine fide-

<sup>1</sup> felvirrad = anbrechen = se lever <sup>2</sup> elporlad = vermodern = pourrir <sup>3</sup> megye = ungarisches Verwaltungsbezirk = comitat (département)

lium «tractum»<sup>4</sup> aureum» manserunt et Dextram Sacram comitatumque, huius ducem *Iustitianum Cardinalem Serédi* principem primatem acceperunt. Campanis sonantibus pompa<sup>5</sup> magna inter ordines multitudinis in arcem processit. Hic Eminentissimus Dominus Cardinalis princeps primas missam celebravit, interim milia fidelium unanimi cecinerunt: «Ubi es splendida Hungarorum stella» . . . Re<sup>6</sup> divinā<sup>6</sup> peractā *Eugenius Gutheil dr. canonicus*<sup>7</sup> Wesprimiensis orationem habuit coram Sacra Dextra, mox fideles ad reliquias sacras inspiciendas accesserunt. Spectaculum admirabile! Hungari regni mille annorum apud dextram conditoris patriae! Dextra Eius dirigens duxit nos ad terminum mille annorum et posthac quoque haec Sacra Dextra populum patriae nostrae per novos mille annos ducet!

*Eugenius Pozsgai—Emericus Földvári*  
disc. cl. VIII—VII. cler. gymn. Schol. P. Veszprimiensis.

<sup>4</sup> vonat = (Eisenbahn)zug = train <sup>5</sup> körmenet = feierlicher Umzug = procession <sup>6</sup> istentisztelet = Gottesdienst = culte <sup>7</sup> kanonok = Domherr = chanoine

## Velum<sup>1</sup> Sanctae Veronicae.

(Ad narrationem *Selmae Lagerlöf* scripsit *Georgius Marchis*. Ludus<sup>2</sup> radiophonicus<sup>2</sup> Budapestini die 25 mensis Aprilis vesperi horā 8½ actus doctore<sup>3</sup> scenico<sup>3</sup> *Eugenio Barsi*).

Auditores radiotelephoniae Hungaricae e ludo supranominato voluptatem maximam ceperunt.



Ambulacrum subterraneum, quo «Villa Jovis» cum ceteris villis Tiberii coniuncta erat.

Unanimo enim consensu omnium, qui actioni<sup>4</sup> huic aures praebebant, raro melius quidquam in hoc genere audiri potest. Fabella simplex eaque subtilissima sensus intimos excitabat cordis, cuius breve argumentum en accipias.

Faustina, nutrix Caesaris Tiberii, aetate iam provectā palatio valedicens redit in casam suam simplicem in montibus Sabinis sitam, in qua nata erat. Vinitor<sup>5</sup> quidam uxorque eius ānum benigne tutantur,<sup>6</sup> quae annos vitae residuos in casa solitaria animo tranquillo degere optat. At fata aliud quid tulere. Nuntius enim affertur, ex quo Faustina edocetur Caesarem leprā deterrimā affectum esse et propter hunc morbum gravissimum odio<sup>7</sup> generis humani maximo ardentem<sup>7</sup> tyrannicā crudelitate cunctam Italiam terrore complere.

Faustina ergo montibus Sabinis relictis Tiberium visura festinat in insulam Capreas<sup>8</sup> ubi Caesar servo fideli excepto ab omnibus derelictus solus vitam agebat. At Tiberius sanitati restituendae prorsus diffidens haud ullam tribuit fidem verbis Faustinae miras res de muliere leprosa<sup>9</sup> narrantis, quae a prophetā quodam Nazareno ad sanitatem reducta sit.

Faustina ergo decernit se Caesarem etiam invitum curaturam esse. Ergo in Galileam proficiscitur prophetam miracula edentem aditura et eodam die Hierosolyma<sup>9</sup> attingit, quo Christus in medio militum Romanorum in montem Golgothae crucem gravem portare cogitur.

Faustina misericordiā<sup>10</sup> hominis, vultu placidissimo collabentis sub onere crucis, commota<sup>10</sup> sanguinem ex facie eius stillantem<sup>11</sup> velo suo absterget. . . Filius Dei deinde a turbā atrocissimā cruci affigitur, Faustina ānus autem ad Caesarem rediens velum ei monstrat, in quo Salvator faciem suam sanguine lacrimisque depictam reliquerat. Qua imagine visā Caesar gravi morbo correptus coram Deō ignoto eoque novo se prosternit et morbo taeterrimo extemplo sanus fit.

*Dr. Franciscus Turányi* (Bp.).

<sup>1</sup> kendő = Tuch = voile <sup>2</sup> hangjáték = Hörspiel = pièce radiophonique <sup>3</sup> rendező = Bühnenleiter = metteur en scène <sup>4</sup> előadás = Aufführung = représentation <sup>5</sup> vincer = Winzer = vigneron <sup>6</sup> oltalmába vesz = in Schutz nehmen = prendre sous sa protection <sup>7</sup> meggyűlöl = haßglühend = prendre en haine <sup>8</sup> hodie : Capri <sup>9</sup> Ierusalem <sup>10</sup> szánalomból = aus Mitleid = par pitié <sup>11</sup> csepeg = träufeln = dégoutter

## Reditus ad Deum.

*O, tu, munde, vagabunde!  
Ruis semper . . . Quo et unde?  
Nulla quies — sed rabies,  
Curris circum et — centies!*

*Quo tu spectas, quid vis telis?  
— Coopertum, quidquid velis:  
En, non potes aperire,  
Cogeris tenebris ire . . .*

*Sine Deo non est vita,  
Perspicito, sic cogita!  
Ille lumen, Ille finis:  
Sit solamen magnis, imis!*

*Stephanus Farkas* prof. Madachiani Bp.



## Quando audit anima...

Scriptit: Guido Gezelle (1830—1899). Latine reddidit: Hermannus Molenarius disc. Kaatsheuvelensis (in Batavia).

*O, quando audit anima,  
tum linguas habent omnia,  
quae sunt in orbe vivida.*

*Susurrus, quamvis levis sit,  
dat vocem, sonus vivus fit:  
loquelam semper habuit.*

*En folia stridentia,  
quae inter se perpetua  
habere scis colloquia;*

*Et verba, quae nunc mediis  
canorā voce fluviis  
dicuntur, nonn(e) audire vis?*

*Dolores, ventus, nubilum<sup>1</sup>  
vociferantur<sup>2</sup> Spiritum  
et Patrem nec non Filium.*

*Sic Dei nomen omnia  
iam celebrant viventia...  
si quidem audit anima.*

<sup>1</sup> nubes <sup>2</sup> nuntiant

## De Ara Pacis Augustae.

Haec descriptio, quam *Iosephus Huszti* professor universitatis Pázmányianae (quondam: a. 1917—1919 moderator «Iuventutis») composuerat, in periodico «Tükör» intitulo a moderatore *Iosepho Révay* lectoribus nostris haud ignoto mense Martio edita est. Quam descriptionem in Latinum sermonem compendiose convertit:


*Vincentius Gombár* Novopestiniensis.

Illi, qui Romae peregrinantur, a mense Septembris anni superioris monumento quodam pulcherrimo ac spectatu dignissimo delectari possunt, quod Ara Pacis est, ut dicitur, renata. Monumentum istud artis aetatis Augusteae notissimum in ripa Tiberis iuxta mausoleum<sup>1</sup> principis loco maxime idoneo ita est positum, ut pulchritudo eius cuique spectanti facile appareat.

Post dira bella civilia non solum omnes fere gentes ad cultum humanum civilemque deductae, verum etiam scriptores Romani (v. gr. Vergilius, Horatius), pacem vehementissime exoptabant. Pace tandem reconciliatā, quā nihil illis temporibus melius optabiliusque Romae esset, senatus memoriam gratiae suae monumento voluit consecrare pulcherrimo. Ita senatus consulto in campo Martio iuxta viam Flaminiam statuta est Ara Pacis, quae Cal. Jul. anno a. Chr. n. 13. consecrata, a. d. III. Cal. Febr. vero anno a. Chr. n. 9. dedicata est. Paries quadratus 6 m. altus, lineae quadranguli<sup>2</sup> maiores

11.50 m, minores vero 10.50 longae sunt. In pariete, quo Ara cingebatur, duo aditus erant, quorum unus ad orientem, alter ad occidentem spectabat. In parte exteriori parietis opera<sup>3</sup> caelata<sup>3</sup> videas, quibus dei factaque ex fabulis antiquis et historiā sumpta exprimuntur. Ibi invenias Tellurem, Romam cum Honore, Martem cum geminis,<sup>4</sup> Aenean sacra facientem sollemnemque pompam, qua Ara Pacis dedicata est. Illae partes sunt maxime integrae, quibus Tellus pompaque sollemnis exprimuntur. In pompa sollemni videmus principem cum familia, senatores populumque Romanum orbem terrarum suae ditioni<sup>5</sup> subiicientem.

Haec Ara per longa saecula notissimum monumentum erat Romae veteris. Aevo autem medio, cum campum Martium Tiberis inundaret,<sup>6</sup> monumentum istud pulcherrimum unā cum aliis urbis aeternae ornamentis fere periit. Verisimile est fuisse



Ara Pacis Augustae restaurata Romae.

partes, ex quibus calx<sup>7</sup> coqueretur,<sup>7</sup> neque defuisse, quae limo<sup>8</sup> submergerentur. Sed aevo, ut dicitur, renascimenti<sup>9</sup> partes magni momenti effossae in museis, ut ita dicam dispersae et neglectae iacebant. Saeculo XIX. et XX. terra effossa tot iam reddidit fragmenta, ut forma Arae Pacis iam describi ac depingi potuerit.

Sed *Benito Mussolini*, Dux Italicorum praeclarissimus, praecepit, ut anno Bimillennii Augustei Ara Pacis in antiquum statum, quantum fieri posset, restitueretur. Sub fundamentis Palatii «Fiano Ottoni» in altitudine 7 metrorum per annum (1937—38). assidue laboratum est. Et vere diebus festis Bimillennii Augustei ultimis Ara Pacis duce<sup>10</sup> professore Moretti doctissimo in antiquum statum restituta est. Ara Pacis, ut ita dicam, renata, nunc denuo praedicat Urbi et Orbi: immensam Romanae Pacis maiestatem.

<sup>1</sup> nagyszabású síremlék = prächtiges Grabmal = mausolee <sup>2</sup> négyszög = Viereck = quadrilatère <sup>3</sup> vulgo: relief <sup>4</sup> ikrek = Zwillinge = jumeaux <sup>5</sup> hatalom = Macht = domination <sup>6</sup> elönt = überschwemmen = inonder <sup>7</sup> meszet éget = Kalk bregnen = cuire de la chaux <sup>8</sup> iszap = Schlamm = vase, limon <sup>9</sup> renaissance <sup>10</sup> vezetésével = unter der Leitung = sous la direction

## Mira donatio.

In oppido Ráczeve, quod in insula Danuvii situm est, fuit olim homo quidam pauper, qui multos liberos<sup>1</sup> habebat. Qui cum de Matthiae regis munificentia atque liberalitate erga cives inopes audisset, eum adire constituit, a quo sublevaretur.<sup>2</sup> Sed antequam iter ingressus est, secum iactavit, cuiusmodi donum regi afferret: nam dedecere arbitrabatur vacuis manibus regiam adire maiestatem. Et quia nihil aliud paupertas eius ad grande munus<sup>3</sup> sufficebat<sup>4</sup>, cucurbitarum,<sup>5</sup> quae in



Terra Mater. Figuræ Aram Pacis ornantes (pag. 135).

horto natae erant, maximam elegit eaque in peram impositâ Budam versus iter direxit. Quo cum pervenisset, id potissimum curavit, ut quam primum cum rege colloqueretur. Cum ad regem admissus esset, rege salutato et perâ de humero solutâ tenue<sup>6</sup> donum obtulit. Rex donum benigne accepit et ab homine de nomine, de condicione,<sup>7</sup> de domicilio sciscitatus est. Homo pauper, postquam interrogationibus regis satisfacit, inopiam confessus auxilium ab eo precatus est. Rex dato viatico<sup>8</sup> dixit, ut bono animo donum rediret: se non illius obliturum.

Homo pauper cum domum revertisset, laetus uxori narravit, quam benigne a rege acceptus quaque pollicitatione dimissus esset. Uxor verba viri secum non tenuit, sed statim divulgare coepit, quid viro suo Budae factum esset. Quod cum vicinus dives audisset, fortunae pauperis invidens haec secum reputavit: «Pauper iste vicinus nihil aliud, nisi cucurbitam regi attulit, et tamen feliciter ei accidit. Quid, si ego amplius donum regiae maiestati commodavero?»<sup>9</sup> haud scio an perpetuum me in hoc oppido facturum sit decurionem».

Neque diu haesitans pulcherrimos boum electos Budam agitavit et ad regem intromissus dixit, cur venisset. Rex comiter sciscitatus est de nomine, de domicilio, de fortuna, quoque<sup>10</sup> modo<sup>10</sup> suum negotium<sup>10</sup> gereret.<sup>10</sup> Homo ille respondit bene se negotium gerere. Dein rex quaesivit, haberetne sues, oves, equos aliaque animalia. Cum homo ille annuisset, rex «Video — inquit — amice, et maxime gaudeo omnia te habere, quibus bonum villicum<sup>11</sup> instructum esse oporteat».

Tum ostendit ei cucurbitam, quam ille pauper attulerat et interrogavit, haberetne tantam in horto cucurbitam. Homo ille nescius, quorsum id quaereretur, discit se tantam non habere. Rex «Hanc cucurbitam — inquit — pauper quidam ex illo ipso oppido, ubi te habitare dixisti, mihi

attulit. Laetus ac libens accepi ab eo hoc tenue donum, quod dantis in me amorem ostendat. Cum vero tu, uti autumas (= dicis), nullâ re cares, non aliter meam in te benevolentiam demonstrare possum, nisi hanc cucurbitam tibi dabo. Atque ut pauper ille ne doleat, quod munus suum alteri dederim, boves, quos mihi donasti, redigi volo et reddi iudicibus, qui debeant meo nomine eos tradere illi pauperi, qui hanc cucurbitam mihi commodavit».

Cum vir ille dives domum redisset, quattuor boves unâ cum charta regis iudicibus tradidit. Uxor eius audito, quid accidisset, furore incensa cucurbitam traiecit in aream vicini pauperis. Ibi porcus, quem pauper homo pecuniâ a rege datâ emerat, cucurbitam comedit.

Val. Fehér O. S. B. (Zalaapáti.)

<sup>1</sup> gyermek = Kind = enfant <sup>2</sup> támogat = unterstützen = aider (de sa bourse) <sup>3</sup> ajándék = Geschenk = cadeau <sup>4</sup> telik vmiböl (nom.) = reichen = ne pas pouvoir fournir <sup>5</sup> tök = Kürbis = courge, potiron <sup>6</sup> szegényes = ärmlich = pitoyable <sup>7</sup> vagyoni viszonyok = Vermögensverhältnisse = conditions de fortune <sup>8</sup> útiköltség = Reise-geld = frais de voyage <sup>9</sup> kedveskedik (amivel: acc.) = mit etw. aufwarten = se rendre agréable <sup>10</sup> és hogyan gazdálkodik? = und wie es ihm gehe = et comment ses affaires allaient <sup>11</sup> gazda = Wirt = fermier

## Alexander Petöfi: 1. Carmen civile.

Latine reddidit Vincentius Bors Szegedinensis.

*Tu possides me, patria,  
Tu cordis mei amorem!  
Ego cuius amans esse  
Possim, nisi t(e) amarem?*

*Aedes sacra (e)st pectus meum  
Habens aram te sanctam,  
Tu stabis et si debeam:  
Aedem pro te subvertam;*

*Et pectoris corruentis  
Supplicium (e)st extremum:  
Tecum bona sint omnia  
Salutesque caelorum! —*

*Dico tamen id nemini,  
Ego nunquam divulgo:  
T(e) esse mihi carissimam  
Orbe terrarum toto.*

*Fidus sequor passus tuos  
Clam semper, non ut umbra  
Viatorem solummodo  
Tempestate serena.*

*Sed vespere veniente  
Umbra lente ut crescit:  
Mih(i) augetur maeror, simul  
Super t(e) advesperascit.*

*Et adeo tuos, tibi  
Qui gloriae recentis  
Luc(em) implorant a numine  
Tum poculis tollendis;*

*Atque tristis exhaurio  
Plenae lagonae vina —  
Amara, lacrimae enim  
Meae cadunt in illa.*



## 2. Consilium ad irritum redactum.<sup>1</sup>

Latine reddit: Steph. Boross Mezöturiensis.

Totā viā domum iens  
Meditabar ego:  
Matrem, quam iam pridem vidi,  
Quomodo vocabo.

Etenim quid primum dicam:  
Pulchrum ac dilectum,  
Ubi matris nutrientis  
Curram ad complexum?

Dum de rebus pulcherrimis  
Multis meditarar,  
Tempus stare videbatur,  
At plaustro vehebar.

Parvam domum cum intravi,  
Volavi ad matrem,  
Oscula do . . . nullā voce . . .  
Quasi mutus<sup>2</sup> essem.

<sup>1</sup> füstbement = mißglückt = anéanti <sup>2</sup> néma = stumm = muet

## Somnia Latronum. (4)

### Theatrum Parvulorum.

Scriptit P. Henricus Koehler S. J. in Brasilia.

RUFUS: Laudo! Oh! quibus deliciis afficiar, cornu venatorio canens!<sup>16</sup> Animula mea, quam suave hoc erit! Jamiam sermonem incipiam cum homine. (Ad Carolum Magnum) Ausculta!

CAROLUS M.: Ausculta (secum); Jamdudum ausculta, sed frustra. Mei videntur dormire.

RUFUS: Unum id peto, domine, ut cornu cedas. Nunc ipsum per quietem mihi videbare montes et valles personare, isto cornu velut insanus canens.

CAROLUS M.: Re vera insanire te censeo. (Secum.) Ah! optimum mihi occurrit consilium. (Omnes simul latrones alloquens): Serenissimi<sup>17</sup> domini, cum vester captivus sim vosque me tam clementer salvum volueritis, omnium ubique terrarum hominum abiectissimus<sup>18</sup> essem, nisi infinitas vobis gratias et haberem et agerem. Vos etenim, cum sitis quattuor, puncto temporis in frusta<sup>19</sup> me concidere poteratis, antequam gladium nudarem. Quare permittite, ut grati animi ostendendi causā hunc vestrum collegam (leviter corpus inclinans ad Rufum versus) artem cornu canendi doceam, simul sperans sonos claros et alacres animis vestris curam levamen et gaudium allaturus esse.

SERGIUS: Desine contionari!<sup>20</sup> Incipe tandem, canē, quos modos<sup>21</sup> novisti, nobis omnibus haud dubie placebunt.

POMPONIUS: Me excepto. Neque enim prudenter nobili isti viro bucinam<sup>22</sup> inflare permitteatur; nescimus, in hac silva absconditi sintne servi illius.

SERGIUS (ad Carolum M.): Exspecta parumper. (Ad Pomponium): Tu nihil unquam nisi fugam cogitas, semper paratus in pedes<sup>23</sup> te<sup>23</sup> dare<sup>23</sup>. Lepus

ignavissime, oh utinam aliquando vapules,<sup>24</sup> uti dignus es!

POMPONIUS: Unum dico: Cavete! Equidem, si postea triste quid acciderit, a culpa abero. Temperi<sup>25</sup> monui.

SERGIUS: Meum est curare, ne in periculum incurramus. Propter te iam sescenties<sup>26</sup> timore vano percussi sumus.

RUFUS: Cum nuperrime in cella<sup>27</sup> vinaria<sup>27</sup> baronis Roberti comissioni<sup>28</sup> indulsimus, vanis<sup>29</sup> commentis<sup>29</sup> in talem terrorem nos coniecit, ut fugā salutem peteremus. Aliquanto post, cum inanem pavorem fuisse intellexissemus, confirmati ad institutum revertimus, sed laetitia prior non rediit.

SERGIUS: Propter istos aeternos timores iam omnis latrocinii me taedet. Tuā culpā, Pomponi, ad hoc devenimus, ut iam timidus grex ovium videamur.

AURELIUS: Optime dicis, dux; praesertim, quia, hic omnia pervestigans, nihil inveni, quod suspicionem afferret.

POMPONIUS (secum): Serenissimus dux plus bibit, quam debebat; vidi eum lagoenam<sup>30</sup> vini mosellani exsiccantem.<sup>31</sup> (Ad Sergium): Patrone!

SERGIUS (minax): Tace. Ne mussites<sup>32</sup> amplius; secus<sup>33</sup> obstinationis te poenitebit.

(Pomponius nihil respondet, sed facit gestūs irae impotentis, quos Sergius non videt.) SERGIUS (ad Carolum M.): Nunc tandem aliquando canta bucinā, nihil iam timens.

POMPONIUS (secum): Quam stolide id factum! Quae vesania! Dux mente captus est! Utrum in officio permanebo, an fugā salutem quaeram?

(Carolus M. omni qua potest vi cornu inflat, sonos ducens.) SERGIUS: Optime! etiam expectationem meam superasti.

ALII (excepto Pomponio): Euge!

### Scena III-a. Eaedem personae.

RUFUS: Cēdo<sup>34</sup> iam cornu! (Carolus M. bucinam ei porrigit. Rufus, artis plane ignarus, dissonum cantum cornu eliciens, reliquis praedonibus risum movet . . . Subito post scenam passus hominum celeriter advenientium audiuntur.) VOX: (post scenam): Huc adeste, amici, huc, huc! Cito! capite latrones!

SERGIUS (ad alios latrones): Omnes in<sup>35</sup> pedes!<sup>35</sup> (Latrones diffugiunt. Post scenam auditur strepitus<sup>36</sup> armorum.<sup>36</sup> Momento post, iterum apparent praedones, singuli a binis equitibus acti).

BLASIUS (eques, inclinans se, ad Carolum Mag.): Auguste princeps, per totam noctem nullam requiem corporibus lassissis concedentes, te quaesivimus, silvam pervagantes. Divinae Bonitati accep-

<sup>16</sup> fúj (kürtöt) = blasen = sonner <sup>17</sup> fóméltóságú = durchlauchtigst = sérénissime <sup>18</sup> elvetemült = verworfen = abject, infāme <sup>19</sup> összeaprít = zerstückeln = mettre en pièces <sup>20</sup> dumál = predigen = faire des causes <sup>21</sup> dallam = Melodie = mélodie <sup>22</sup> cornu <sup>23</sup> aufgere <sup>24</sup> elpáholnának téged = Prügel bekommen = être rossé <sup>25</sup> idejekorán = rechtzeitig = à temps <sup>26</sup> saepissime <sup>27</sup> borospince = Weinkeller = cave, cellier <sup>28</sup> iddogálás = Trinkgelage = boisson <sup>29</sup> hazug mese = Lügenmärchen = histoires mensongères <sup>30</sup> üveg = Flasche = bouteille <sup>31</sup> kiürit = ausleeren = vider <sup>32</sup> dörmög = (in den Bart) brummen = marmonner <sup>33</sup> mert különben = sonst = sinon <sup>34</sup> celeriter da mihi <sup>35</sup> afügite <sup>36</sup> fegyvercsőrej = Waffengeklirr = eliquetis des armes

tum referimus, quod tandem Te incolumem invenimus. Sed permitte, ut sociis, qui etiam nunc silvam pervestigant, signum conductum demus, ut certiores fiant nos te invenisse.

CAROLUS M.: Amici, temperi auxilium tulistis, secus hic praemature mihi erat<sup>37</sup> moriendum<sup>37</sup> nefario pugione transfixus. Quam maximas vobis gratias ago! Date utique signum, ne supervacane<sup>38</sup> socii per silvam circumvagantur. (*Blasius cornu, quod gestat, inflat, sonos productiores eliciens...*)

RUTLANDUS (*equus*): Vivat Carolus rex Francorum, vivat, floreat, crescat!

OMNES EQUITES: Vivat, floreat, crescat! (*Dum sequentia aguntur, quattuor equites subintrant paulatim et, ut quisque in scenam progreditur, coram Carolo M. reverenter corpus inclinat.*)

RUTLANDUS: Tandem aliquando Te invenimus. Gratias agamus Deo Omnipotenti... Sed quid video? Quae insolentia inaudita est ista? Hic latro cassidem tuam, domine, gestat — iste bucinā gaudet — tertius purpureo tuo paludamento gloriatur; (*clamans, ad Sergium*): redde cassidem!

CAROLUS M. (*ad Rul.*): Omitte<sup>39</sup> haec!<sup>39</sup> (*ad omnes equites*) Audite, quo insolito modo me spoliaverint. Dixerunt enim se per somnium vidisse ea, quae vos nunc mirantes conspicitis, se scilicet his meis rebus usos: hic se vidit contactum casside; iste paludamento indutum; alius bucinā eburneā gaudere se somniavit. (*ad latrones conversus*): Audite nunc vos, somniatores. Etiam ego Carolus, per gratiam Dei rex Francorum, vidi somnium, quod somnium, ni fallor, executioni mandabitur. Vidi scilicet arborem quandam excelsam, e cuius brachiis singulis singuli pendebant praedones, laqueis<sup>40</sup> suspensi; (*vocem augens*) vestes eorum erant sicut istae, quas vos gestatis, et facies eorum erant facies vestrae. (*ad comites*): Quid vobis videtur?

RUTLAND.: Jubes igitur, domine, gulam<sup>41</sup> laqueo<sup>41</sup> frangi<sup>41</sup> his hominibus, quia alius oblectationem cepit ex bucina, alius adamavit paludamentum, alius cassidem concupivit. Nimia severitas videtur ista. Equidem aliam tibi praeponam sententiam.

CAROLUS M.: Quae, sentis, dic liberrime; consilia enim amicorum meorum non temere respuo.<sup>42</sup>

RUTLAND.: Censeo igitur sufficere, ut hi tres in vincula coniciantur.

CAROLUS M.: Tres, inquis? Et quam poenam quartus dabit?

RUTLAND. (*Pomponium digito designans*): Iste nihil tibi eripuit.

CAROLUS M.: Verum; sed est totius gregis sceleratorum horum vulpes longe callidissima. Consilium eis dedit non spernendum. Monuit nempe vaferrimus,<sup>43</sup> ne bucinā uti permetterent mihi, timens, ne quis vestrum hos sonos audiens mihi auxilio veniret. Non videtur iniustum poenam<sup>44</sup> expetere<sup>44</sup> ab eo, qui id agit, ut alii impune possint exercere latrocinia.

RUTLAND.: Recte haec dicis. Istas rationes, quae totam rem mutant, ego ignorabam.

RENATUS (*equus*): Quid putamus illos allatuos<sup>45</sup> fuisse<sup>45</sup> duci nostro, si diutius illi nostrum auxilium exspectandum fuisset?

RUTLAND.: Sententia non est ferenda de iis, quae fecissent, sed de his, quae fecerunt.

CAROLUS M.: Sine dubio.

SERGIUS: Optime; nam neque nos ipsi scimus, quid facturi fuissetis, si vos non supervenissetis.

CAROLUS M.: Conticesce, nemo tibi potestatem loquendi fecit. (*ad equites*): Perpendite,<sup>46</sup> quae, haec: hi homines ex ipsis factis convincuntur<sup>47</sup> latrones esse. Praeterea, quominus fugerem, me impediverunt, libertatem mihi gladii strictis ademerunt, quae sunt crimina severe punienda.

RENATUS: Certissime; neque quisquam negabit agi<sup>48</sup> de gravi culpa.

CAROLUS M.: Reddite mihi iam insignia. (*Equites eripiunt ea praedonibus et Carolo Magno offerunt, qui ea sibi accommodat. Dein ad equites dicit*): Nobiles vasalli, clientes fidelissimi, ego Carolus rex Francorum et S. Imperii Romani princeps, hos viros in hac silva latrocinantes et viatores innocios libertate privantes et exspoliantes deprehendi. Cum haec silva sit ex fundis meis, in quibus ipse ius dico, decerno — quamquam eos possum<sup>49</sup> capitis<sup>50</sup> damnare<sup>50</sup> — decerno, inquam, ut in carcerem obscurum et taetricum<sup>51</sup> detrudantur et triginta annos in eo degant,<sup>52</sup> ut ipsi discant, quid sit lumine et libertate privatum esse. Simul id assequemur, ut per istud temporis spatium ii, qui nostro imperio subiecti sunt, securitate honorum et vitae fruuantur.

RENATUS: Optime, utinam omnes pestes reipublicae tales poenas<sup>53</sup> luant!<sup>53</sup>

RUTLAND.: Utinam hi alios praedones exemplo suo moneant, ad quam abyssum<sup>54</sup> perducat via criminibus strata!

CAROLUS M.: Et utinam omnes somniatores intellegant, somnia, quae ad latrocinia impellant, non afferre veras divitias, sed saepe in hac et certe in altera vita profundissimas tristitias.

(*Finis.*)

<sup>37</sup> kellett volna meghalnom = hätte ich sterben müssen = j'aurais dû mourir <sup>38</sup> felesleges módon = überflüssig = inutilement <sup>39</sup> hagyd csak = laß doch das = laisse cela <sup>40</sup> kötél (hurok) = Strick, Schlinge = neud coulant <sup>41</sup> megfojtani = erdrosseln = étrangler <sup>42</sup> repudio, reiciio, contemno <sup>43</sup> fufangos = verschlagen, schlaue = roublard, astucieux <sup>44</sup> megbüntet = bestrafen = punir <sup>45</sup> bántak volna vele = hätten sie ihm angetan = ils auraient fait à <sup>46</sup> jól megfontol = genau erwägen = réfléchir à <sup>47</sup> rábizonyít = überführen = sont convaincus <sup>48</sup> szó van vmiről = es handelt sich um = il s'agit de <sup>49</sup> módomban állna = könnte = je pourrais <sup>50</sup> halálra ítélt = zu Tode verurteilen = condamner à mort <sup>51</sup> zord = abscheulich = infect <sup>52</sup> vivand <sup>53</sup> lakol = büßen = être puni <sup>54</sup> mélység, pokol = Tiefe, Hölle = enfer

## De Stanislae Zólkiewski.

Inter praecipuos duces, qui virtute et insignibus rebus gestis patriam nostram initio XVII saeculi illustraverunt, principalem locum Stanislae Zólkiewski obtinet. Natus anno 1547 in pago Turinka, prope Leopoli<sup>1</sup> ex parentibus nobilitate et amore erga patriam claris. Primā iuventute sub cura parentum peractā militiae se adiunxit, in qua maxime

<sup>1</sup> Lwow (Lemberg)



1. Pugna ad Cecoram. 2. Magnus dux Zólkiewski mortem ad Cecoram obit a. 1620. (pinxit A. Setkowicz).

splenduit. In omnibus bellis huius temporis a Polonia contra Moscovitas, tum contra Turcas et Tartaros gestis partes<sup>2</sup> haud mediocres egit.<sup>2</sup>

Virtus tamen eius bellica et fortitudo maxime in duobus bellis eminit, scilicet contra Moscovitas anno 1609 et contra Turcas anno 1620 ductis. Anno videlicet 1609 imperator<sup>3</sup> Russiae Vasilius bellum regi Poloniae Sigismundo III indixit. Stanislaus Zólkiewski dux exercitus regii non solum imperatorias copias<sup>4</sup> devixit, sed etiam Moscoviam caput<sup>5</sup> imperii occupavit, ipsumque imperatorem in captivitatem duxit. Haec victoria Stanislai Zólkiewski ianuas aperuit fidei et culturae christianae ad regiones orientales et auctoritatem Poloniae ad maximum splendorem evexit.

In bello verum contra Turcas a. 1620 dux noster morte gloriosā occubuit.<sup>6</sup> Circumclusus enim cum suis viginti milibus in castris ad Cecoram positus a plus quam ducentis milibus Turcarum per plures dies fortiter et cum successu se defendebat. At per proditorem a suis derelictus et heroice pugnans in proelio cecidit. Caput eius abscissum et hastae infixum Turcae per castra sua portabant, laetitiā exsultantes,<sup>7</sup> quod maximus suorum hostium tandem occisus est. Mors tamen Stanislai Zólkiewski Poloniae salutis fuit. Ipse vero et apud contemporaneos et apud posteros in maximo honore habebatur, tamquam filius patriae, qui memor fuit illius antiqui poetae verbi: «dulce et decorum est pro patria mori».

*Maria Królówna* disc. Cracoviensis.

<sup>2</sup> szerepet játszik = eine Rolle spielen = jouer un rôle  
<sup>3</sup> cár = Zar = empereur (Czar) <sup>4</sup> csapatok = Truppen = troupes  
<sup>5</sup> főváros = Hauptstadt = capitale <sup>6</sup> mortuus est  
<sup>7</sup> ujjong = frohlocken = pousser des cris d'allégresse

## Quo modo Caracas urbs Americae meridionalis terrae motu deleta sit.

Commentatio<sup>1</sup> Latine libere reddita ab *Augustino Rivulo* (Potuczek) gymn. directore emer. Sudetano.

Terrarum motu<sup>4</sup> vix quidquam naturae portentorum atrocius est, quippe cui avertendo vel coërcendo<sup>5</sup> artes viresque mortalium impares sint. Eiusmodi tremore Caracas urbs eiusque ager anno MDCCCXII. vastata sunt. A. d. VII. Kal. Apr. horā post meridiem quintā terrae vacillatio sentiri

coepta est, aëre tranquillo, aestuque solis ferventissimo. Ne<sup>6</sup> ullo<sup>6</sup> quidem<sup>6</sup> funesti casus signo antea percepto primus succussus<sup>7</sup> eo valuit, ut campanae oscillarent. Interiectis aliquot punctis<sup>8</sup> horae<sup>8</sup> minutissimis<sup>8</sup> solum undatum commovebatur, velut mare placidā tempestate. Iamque periculo<sup>9</sup> defuncti<sup>9</sup> esse sibi videbantur, cum paulo post fremitus subterraneus auditus est atque eruptiones<sup>10</sup> electricae gravius quam tonitrua crepuere. Terra incredibili quadam celeritate concussa velut aqua flammae violentae admota aestuare videbatur. Paucarum horae<sup>11</sup> sexagesimarum<sup>11</sup> intervallo effectum est, ut urbs Caracas funditus deleteretur, 30 amplius oppida, plurimae villae et viridaria<sup>12</sup> per amplissimum tractum<sup>13</sup> everterentur, 80 milia hominum occumberent.

Isto forte die<sup>14</sup> divi Christi<sup>14</sup> feralibus<sup>14</sup> sacro,<sup>14</sup> cum cives frequentes in urbis templa se contulissent, ibidem terrā hiscente conditi sunt altissimis amplissimisque columnis repente collabentibus et humo haustis. Cohors militum, quae tum maxime sacram pompam<sup>15</sup> sequi parabat, terrae hiatus universa absumpta est.

Incredibile dictu, quanto terrore quantāque trepidatione et perturbatione, quam fanatico<sup>16</sup> quodam furore,<sup>16</sup> quicumque incolae terrae motu evaserant, correpti sint. Prout cuique copia erat, salutem quaerere;<sup>17</sup> multi in genua provolvi<sup>17</sup> ad

<sup>1</sup> Caracas, caput reipublicae Venezuelae (i. e. «Parvae Venetiae»), altitudine plus 900 metrorum in montium maritimorum iugis situm, a. 1812. terrae motu dirutum est. Quem atrocem casum *Alexander* e nobilibus *Humboldt* (1769—1859), qui aetatis pervestigationum<sup>2</sup> scientiae primum tenet locum cuiusque peregrinationes in regionibus aequatorialis zonae Americae susceptae ad subtiliorem orbis terrarum cognitionem recentes muniverunt vias, in conspectu<sup>3</sup> sic ponit,<sup>3</sup> ut exstare atque eminere videatur.

<sup>2</sup> felfedezés = Entdeckung = découverte <sup>3</sup> ecsetel = schildern = décrire <sup>4</sup> abl. comparisonis <sup>5</sup> korlátol = einschränken = limiter <sup>6</sup> a nélkül, hogy bármiféle = ohne daß auch nur ein = sans que le moindre <sup>7</sup> lökés = Stoß = secousse <sup>8</sup> másodperc = Sekunde = seconde <sup>9</sup> túl annak a veszélyen = die Gefahr überstanden zu haben = être échappé au danger <sup>10</sup> kisülés = Entladung = décharge <sup>11</sup> perc = Minute = minute <sup>12</sup> ültetvény = Pflanzung = plantage <sup>13</sup> környék = Umkreis = aire <sup>14</sup> nagypéntek = Karfreitag = vendredi saint <sup>15</sup> körmenet = Prozession = procession <sup>16</sup> vallásos rajongás = religiöse Schwärmerei = exaltation religieuse <sup>17</sup> inf. historicus

veniam superiorum deprecandam, multi trepidi desperantesque discurrere,<sup>17</sup> cognatos amicosque anquirere.<sup>17</sup> Erant, qui nullo alio nisi imbellium manuum instrumento rudera<sup>18</sup> sedulo quidem, sed incassum rimarentur, ut reliquias necessariorum reperirent. Quod diei reliquum erat et totam noctem curae<sup>19</sup> isti plerumque inani impenderunt.<sup>19</sup> Penu<sup>20</sup> omni annonaque<sup>20</sup> sub domibus eversis sepultā et vulgo nigrisque mancipiis,<sup>21</sup> dum omnia foedo tumulto miscentur, praedandi opportunitatem<sup>22</sup> nactis<sup>22</sup> atrox terrae tremorem secuta est rerum penuria. Dirutis aquaeductibus rivisque exsiccatis aut alveo<sup>23</sup> eorum mutato, itinere opus erat longinquo ad petendum, quantum aquae siti explendae sufficeret. Multi in praedia sua volebant confugere, sed neque ibi quidquam nisi campos vastis ruinis consitos deprehendebant.

Tria sauciorum cuiusvis ordinis milia ad fluvii ripam sub arborum umbrā reposita omnium rerum inopiā laborabant neque ullā aliā re, nisi solacio poterant sublevari.

Atroci illo casu attentio humanae naturae spectatori mores et ingenium Hispanorum luculentissimo exemplo cognoscendi copia facta est. Miro quodam modo multi ad<sup>24</sup> humanitatis sensum<sup>24</sup> torpere<sup>24</sup> videbantur; patres familias liberis, necessariis, omnibus fortunis amissis a lacrimis prorsus<sup>25</sup> sibi temperabant. Erant, qui pōtui<sup>26</sup> indulgentes<sup>26</sup> aegrimoniam obtunderent,<sup>26</sup> alii oculis animoque ad divi alicuius simulacrum conversis solacium quaerebant. Multi semet ipsi incusabant, quod delictis<sup>27</sup> caelestium vindictam contraxissent. Hi igitur pompam sacram sequentes fanum<sup>28</sup> aliquod petebant barbā promissā,<sup>29</sup> lato tantum cingulo vestiti, nudis pedibus, laqueo collum vincientes, umeris crucem ligneam magni ponderis gestantes. Multi ipso facto paenitentiam comprobarent, haud paucae res fraude ereptae iam sunt redditae, nonnullae lites placide compositae.

Sic incolae urbis miserrimae, ingenti contriti supplicio, veniam numinis impetrare studebant.

<sup>18</sup> ruinas <sup>19</sup> erre a fáradozásra fordítani = zu dieser Anstrengung verwenden = employer à cette besogne <sup>20</sup> élelmiszerkészlet = Vorräte = provisions de vivres <sup>21</sup> servis <sup>22</sup> az alkalmat felhasználták = die Gelegenheit benutzen = saisir l'occasion <sup>23</sup> meder = Lauf = lit <sup>24</sup> érzéketlenséget tanúsítottak = zeigten Gefühllosigkeit = se montrer insensible <sup>25</sup> teljesen = gänzlich = complètement <sup>26</sup> italba fojtották = betäubten durch Trunkenheit = noyer dans la boisson <sup>27</sup> bűn = Sünde = crime <sup>28</sup> templum <sup>29</sup> megnövesztett = ungeschoren = poussée <sup>30</sup> le-sujtva = erschütterte = accablés

## Institor<sup>1</sup> callidus.

Scriptis A. László. Latine reddidit O. Suszter Zalaegerszegiensis.

Dr. Linke consiliarius<sup>2</sup> magistratus erat cuiusdam urbis regionalis. Aliquando quidam vir elegantissime vestitus eum in domo magistratus adiit, qui de communibus amicis ei loquebatur et, quomodo valeret, rogabat. Sed denique apparuit eum quandam librum venditurum venisse. Pretium libri decem coronarum erat. Consiliarius, ut hominem dimittere posset, se librum emere respondit,

sed frustra crumenam<sup>3</sup> in sinu<sup>4</sup> bracarum<sup>4</sup> quaesitabat, nam illam domi reliquerat. Advocato secretario suo dixit: «Rogo te, solvas<sup>5</sup> huic viro decem coronas, quia ego crumenam domi in mensa scriptoria reliqui, cras reddam tibi hanc summam». Institor nummis acceptis ambobus valedicens abiit.

Consiliarium paulo post domum venientem uxor his verbis excepit: «Quidam institor hunc librum a te emptum mihi tradidit, cui ego pro te decem coronas solvi». Consiliarius suspicione<sup>6</sup> captus interrogavit: «De quo institore et quo libro loqueris?» — «Quem tu cum libro ad me misisti, ut ei e crumena tuā, quam domi in mensa scriptoria reliqueras, decem coronas solverem» respondit uxor. Consiliarius irā repressā ne uno quidem vocabulo prodidit se deceptum<sup>7</sup> esse et pro uno duo exemplaria eiusdem libri emisse.

Post meridiem iam ipse quoque casum suum risit et hilariter in thermopolio<sup>8</sup> amicis enarravit, quid sibi factum esset. Hi omnes eum fabulantem maximo cum risu audiebant. Tum ille e fenestra thermopolii prospiciens subito vidit institorem in margine viae progredientem et iterum irae plenus exclamavit: «Ecce nebulonem<sup>9</sup> istum! Veni pincerna!<sup>10</sup> «Videsne illum virum ante hanc domum festinantem? I celeriter et advoca eum huc!» Sed puer<sup>10</sup> solus librum manu tenens rediit, quem consiliario tradidit dicens: «Vir iste sibi ad stationem viae ferratae festinandum esse et se ideo non potuisse huc venire dixit, sed hunc librum mihi commisit, ut domino consiliario traderem. Decem coronas ei solvi». Sic dr. Linke tria exemplaria eiusdem libri emit. Sed pincerna noster sedulus ne nunc quidem intellegere potest, cur tum a consiliario nullum munusculum<sup>11</sup> acceperit.

<sup>1</sup> ügynök = Agent = agent voyageur <sup>2</sup> tanácsos = Rat = conseiller <sup>3</sup> pénztárca = Geldtasche = porte-monnaie <sup>4</sup> nadrágzseb = Hosentasche = poche du pantalon <sup>5</sup> kifizet = auszahlen = payer <sup>6</sup> gyanú = Verdacht = soupçon <sup>7</sup> rászedni = betrügen = duper <sup>8</sup> kávéház = Kaffeehaus = café <sup>9</sup> gazfickó = Schurke = coquin <sup>10</sup> pincér = Kellner = garçon <sup>11</sup> borralvó = Trinkgeld = pour-boire

## Oh fortunata tempora, quibus illi latrones fuerint...

Hispanica fabula rustica. Scr. prof. H. Glücksmann. Latine reddidit Aem. Láng Keszthelyensis.

«Satanas<sup>1</sup> se assiduo labore defatiget, non ego!» murmurabat Pepo Zuniga simulque palam<sup>2</sup> longe in agrum abiecit.

«Est ut dicis», assensus est ei Iuan Valamba. «Etiam me taedet semper sudare» — et rastrum<sup>3</sup> ad palam coniecit.

— Quid faciamus?

— Nihil.

— Hem! quam pulchre dictum! Nil agere nunquam recuso, sed... hercle... unde vivamus... unde... nobis vero vivendum est.

— Utique vivemus et quidem bene ac laute.

<sup>1</sup> sátán = Satan = satan <sup>2</sup> ásó = Spaten = bêche <sup>3</sup> két- v. többágú kapa = zwei- oder mehrzinkige Hacke = serfouette, binette à deux ou trois dents

Alii quoque mille vivunt, cum nihil agant. Quod onus et nostri humeri sustinent.

— O! . . . certissime . . . verum tamen illi pecuniam habent.

— Sane quidem. Nos autem comparemus nobis.

— Quo modo?

— Uti Diego Churecca sibi comparat.

— Ain' tu? At Diego Churecca . . . ille . . . ille est latro?!

— Est nimirum. Immo magno honore colitur, admirandus et longe lateque timendus est. Quod et vos assequi volumus.

— Ergo etiam nos . . . ?

— Latrones fieri volumus.

— Euge! euge! clamabat Pepo Zuniga. Nunc latrones erimus . . . ! Nunc latrones erimus! Apage et tu! simulque ictu<sup>4</sup> calcis<sup>4</sup> pālam longius inter plantas abiecit. Te iam opus non est mihi. Et iubilabat: nunc latrones sumus.

— Ita. Nunc latrones sumus, comprobavit sententiam eius Iuan Valamba et pileum petulantius capiti prave<sup>5</sup> aptavit.

— Quem igitur exspoliabimus? Quomodo rem aggrediemur?

— Quomodo rem aggrediemur, stupide! Insidias struemus.

— Sed ubi?

— Ubique. Ubi volumus, stipes!<sup>6</sup> Hic ipsum in extrema<sup>7</sup> via.<sup>7</sup>

— Hic ipsum, dicis?

— Ita est. Hic delitescemus in fruticeto<sup>8</sup> exspectantes, quamdiu aliquis veniat.

— Ego equidem corpus per herbas libenter prosterno. Sed quid, si nemo veniat?

— Ne sis stultior stultissimo! Aliquis veniat oportet, si eum exspoliare volumus. Quod alioquin facere non possimus.

— Recte! Exspectemus igitur!

Qui igitur in fruticeto se posuere. «Nunc latrones sumus», dixit paulo post cogitationibus suis inhaerens Pepo Zuniga.

— Profecto, nos nunc latrones sumus, assensus est ei Iuan Valamba inani superbiā tumens.

— Nos hic praedae insidiamur. Re vera hoc facimus.

Pepo Zuniga gemitus alto de pectore petitos edidit dicens: quam pulchrum est latronem esse.

— Tace! insurravit<sup>9</sup> in aurem eius Iuan Valamba. Audin'?

— Nihil audio.

— Ecce tibi eques, quem exspoliabimus!

— Sumusne igitur veri latrones? rogavit iterum Zuniga, ut sibi penitus exploratum<sup>10</sup> esset rem ita esse.

— Admodum.<sup>11</sup> Et nunc leniter assurgamus et cum eques aderit, repente prosiliamus clamantes: «Pecuniam aut vitam!»

— Pecuniam malim.

— Fenum ēs!<sup>12</sup> pecunia scilicet in nullo periculo versatur.

— Sed si vitam<sup>13</sup> ponere<sup>13</sup> malit?

— Tunc cum vita etiam pecunia ei adimetur!

— Rem<sup>14</sup> acu<sup>14</sup> tetigisti!<sup>14</sup> Hoc igitur faciemus, nam nos latrones sumus. — Dein Pepo Zuniga exsurrexit clamitans: «Pecuniam aut vitam!»

Sed eques adhuc longe aberat, ideo Iuan socium nimis vehementem interulā<sup>15</sup> manicatā<sup>15</sup> vi tantā ad se rapuit, ut discinderetur. «Omnia pervertis, mule!<sup>16</sup> «Exspecta, dum adsit. Alioqui se convertet et aufugiet.»

— Tum latrones esse desinemus?

— Hercle tum actum<sup>17</sup> erit<sup>17</sup> de gloria latrocinanli!

Quod eum vehementer movit, nam Peponi virtus latrocinandi in deliciis erat. Ideo iterum se



Juvenes noctu canentes a custode publico monentur (pag. 143).

humi prostravit et silebat, dum eques mulo<sup>18</sup> advectus aderat

Consiste!<sup>19</sup> — intonuerunt<sup>20</sup> ambo, — pecuniam aut vitam!

Eques in cachinnos effusus est: Heus, vos estis Iuan Valamba et Pepo Zuniga!

— Non, non sumus, dixit Iuan. Nos latrones sumus.

— Mehercule, ioca lepida<sup>21</sup> agitatis! Latrones estis? Veri latrones?

— Veri.

— Hui! quomodo latrones facti estis? Hoc velim sciam. Sed non est mihi tempus. Gratisimum mihi facietis, si viam unā facietis mecum inque itinere hoc enarrabitis. Nonne hoc officium<sup>22</sup> mihi praestabitis?

— Libenter. Si enim nescis nos latrones esse, non trades nobis, credo hercle, pecuniam tuam!

— Ita est, amici, ridebat eques. Primum mihi persuadeatis oportet vos esse veros latrones. Eia, igitur amici agite loquimini!

— Audi igitur paucis. — Tum Iuan et Pepo, dum praeter mulum, quo vicinus Iosé Goaciano in urbem vehebatur, procedebant, narrare coe-

<sup>4</sup> rúgás = Fußtritt = coup de pied <sup>5</sup> ferdén = schief = de guingois <sup>6</sup> tuskó, tökkelütött (szitokszó) = Klotz (Schimpfwort) = bûche (imbécile) <sup>7</sup> útszél = Straßenrand = le bord de la route <sup>8</sup> cserjés, bokros hely = Gebüsch = taillés <sup>9</sup> sottog = flüstern = souffler <sup>10</sup> bizonyos = sicher, gewiß = assuré <sup>11</sup> igenis = jawohl = c'est sûr <sup>12</sup> a verbo = edere <sup>13</sup> meghalni = sterben = mourir <sup>14</sup> a szegyet fején találtad = du hast den Nagel auf den Kopf getroffen = mettre le doigt dessus <sup>15</sup> ujjas ing = Hemd mit Ärmeln versehen = chemise à manches <sup>16</sup> szamárl! = Esel! = âne (mulet) <sup>17</sup> vége van = es ist aus = c'en est fait <sup>18</sup> öszvér = Maulesel = mulet <sup>19</sup> állj! = Halt! = halte! arrête! <sup>20</sup> dörög = losdonnern = vociférer <sup>21</sup> elmés = witzig = spirituel <sup>22</sup> baráti szolgálat = Freundschaftsdienst = complaisance

perant, quomodo accidisset, ut latrones facti essent.

— Tenesne<sup>23</sup> — desiit Iuan — nos veros esse latrones?

Fabulae<sup>24</sup>! ridebat Iosé, vos nempe neminem adhuc exspoliastis! Latrones eritis, si cui pecuniam aut vitam ademeritis!

— Hoc ipsum facturi sumus. Te ipsum volumus exspoliare. Et Pepo Zuniga repente prosiliens clamabat: 'pecuniam aut vitam'!

— Bona<sup>25</sup> verba, <sup>25</sup> quaeso! dixit Iosé manque monstravit custodem<sup>26</sup> publicum<sup>26</sup> ante portam oppidi Albacotae stantem, illi nempe confabulantes eo usque eum comitabantur. — Cávete, ne custos vos in vincula coniciat cupidinemque latrocinandi vestram in omne tempus coërceat!

— Vincula dicis?

— Vincula eaque sempiterna, quae vobis viventibus iam non adimentur.

Iuan Valamba caput digito scalpébat: <sup>27</sup> «Mala res! <sup>28</sup> Vetamur latrones esse? Ergo tantum itineris frustra confecimus?! Quis putaret, tam difficile esse latronem fieri!»

Cui Pepo astipulatus<sup>29</sup> est et «Redeo, dixit, ad relictam pálam. Ego latro tantá lassitudine pedibus<sup>30</sup> eundi<sup>30</sup> et tantá fame crucior, quantá rusticus antea nunquam».

Iosé Goaciano iterum risit: Recte! Absistite latrocinari! Vos ad id non estis nati!

— Iam teneo<sup>23</sup>, respondit Iuan. Nos ad meliora non sumus nati, nobis iam in agris colendis perseverandum est. Atqui tamen doleo, quod somnium latrocinandi ad<sup>31</sup> irritum<sup>31</sup> cecidit. <sup>31</sup> Latrocinari, credo hercle, pulchrum est, si fructum<sup>32</sup> edat.<sup>32</sup>

Ambo redierunt ad operam interruptam, palá rostroque sumptis in dies multo sudore laborabant, neque rem<sup>33</sup> fecerunt. <sup>33</sup> Sed usque adhuc magnifice, oculis fulgentibus loquuntur de fortunatis temporibus, cum latrones fuerunt.

<sup>23</sup> érteni = begreifen = comprendre <sup>24</sup> mesebeszéd! = Fabelei! = des blagues! <sup>25</sup> csak lassan! = nur gemach! = tout doux! <sup>26</sup> rendőr = Wachtmann = sergent de ville <sup>27</sup> megvakar = kratzen = gratter <sup>28</sup> helyzet = Lage = situation <sup>29</sup> véleményében osztózik = beipflichten = partager l'opinion <sup>30</sup> gyalogol = zu Fuß gehen = aller à pied <sup>31</sup> füstbe menni = vereitelt werden = tomber dans l'eau <sup>32</sup> jövedelmet hájt = Gewinn abwerfen = rapporter <sup>33</sup> viszi vmire = es zu etw. bringen = arriver à qqch.

## Natale ligamen.<sup>1</sup>

Si petis a me forte crucem, natale ligamen,

Huius amans cum sis, hanc quoque Pindus habet.

Quot silvae frondes quae o t c aelo sidera; dulces

Quot caris libant p u e r i s pia basia<sup>2</sup> matres,

Tot tibi dent annis lae t a r i hac luce benigna

N u m i n a, qua simul o m n e bonum coelli, quia pinguis

Sunt rores coelli, pia dip h t e r a<sup>3</sup> fundat, amoenum

Semper cerne polum, non a è r a cerne severum,

Non veniant curae, non n r e rum turba malarum

Infestet; maestae pro cul a te taedia sortis

Absint, ast omni s r u at ubere copia cornu

In te fortun a e s c ateant et plena favorum

Flumina; te cantent p u e r i que, virique senesque

At que ferant laud e m m usae super aethera vestram.

Quid sit iste versus, si scire desideratis, paucis verbis expono. Carmen, quod hic videtis, in scholis Jesuitarum Hungaricorum saeculo XVIII. manibus discipuli versabant. Inter manuscripta Jesuitica inveni. Vel magistri, vel discipuli scholarum composuerunt. Quam peritus ille, qui fecit, linguae latinae! Quia non solum carmen simplex ad diem natalem amico suo donum dedit, sed etiam inter versus crucem abdidit. Invenietis hanc crucem, si verba saepta<sup>4</sup> primum ad libram<sup>5</sup> deinde directe<sup>6</sup> colligetis. Scriptor versibus hexametris amico omnia bona ante mortem exoptat, in formâ crucis vero aeternam beatitudinem precatur.<sup>7</sup> Quantum illis leporis,<sup>8</sup> dulcedinis amorisque inserit! Miramur poëtae animum<sup>9</sup> acutum<sup>9</sup> ad excogitandum;<sup>9</sup> nam versus et numerosi<sup>10</sup> sunt et sententias habent neque inconcinnae,<sup>11</sup> neque ineleganter collocatas et ipsum dicendi genus non abhorret a recto. Imitamini.

Aurelianus Hets dr. O. S. B.

<sup>1</sup> születésnapí füzér = Geburtstagsband = guirlande d'anniversaire de naissance <sup>2</sup> csók = Kuß = baiser <sup>3</sup> (recte: diptera) kétszárnyú kapu = Flügeltür = porte à battants <sup>4</sup> bekerített = umzämen = enclous <sup>5</sup> vízszintesen = wagerecht = horizontalement <sup>6</sup> függőlegesen = senkrecht = verticalement <sup>7</sup> kíván = wünschen = souhaïter: Opto hanc saepe tuam te rursum cernere lucem (hexametrum) <sup>8</sup> finomság = Anmut = délicatesse <sup>9</sup> találékonyság = Erfindungsgabe = esprit inventif <sup>10</sup> vulgo: rhythmic <sup>11</sup> esetlen = ungerieimt = informe

## Subsellium<sup>1</sup> Graeziense.<sup>1</sup>

Auctore Zs. Harsányi, interprete Ios. Guelmino. Bp.

Erant aliquando, temporibus pacis, cum iuabat homines iocum agere, erant in urbe Budapest duo studiosi<sup>2</sup> iuris prudentiae.<sup>2</sup> Quia autem hi diligetiores erant non tam in universitate, quam in oblectamentis<sup>3</sup>, quae etiam tunc multâ pecuniâ constabant, parentes unanime decreverunt eos Graezium mittere ad iurisprudentiam discendam. Urbs illa tranquilla, modesta mitigabit mores illorum, dixerunt inter se patres, neque sermo<sup>4</sup> Germanicus cuiquam nocere solebat. Et quot linguae, tot homines, addiderunt<sup>5</sup> contenti.

Sic accidit, ut Stephanus et Ladislaus, duae excellentes figurae, in urbem Graezium venirent et brevissime experirentur vitam ibi vere quietam et silentiosam<sup>6</sup> esse. Exempli gratiâ post horam decimam vesperi tota vita intermittitur<sup>7</sup> et haec res ab iis, quibus vita tunc coepisse solebat, nullo modo intelligi potuit. «Aliquid faciendum est», dixerunt, «ne taedio<sup>8</sup> pereamus et ut, quantum<sup>9</sup> intersit<sup>9</sup> inter Hungaros Germanosque, appareat. Ut denique hi, frigidi sanguinis, risum doceantur.»

<sup>1</sup> a gráci pad = die grazer Bank (Brettersitz) = le banc de Graz <sup>2</sup> joghallgató = Student der Rechtswissenschaft = étudiant en droit <sup>3</sup> szórakozás = Unterhaltung = amusement <sup>4</sup> nyelv = Sprache = langue <sup>5</sup> megjegyezni = hinzusetzen = ajouter <sup>6</sup> silentii plenam <sup>7</sup> kihal, félbeszakad = aufgehören = interrompre <sup>8</sup> unalom = Langweile = ennui <sup>9</sup> mi a különbség = wie groß der Unterschied sei = quelle différence il y a

Et accidit, ut, cum in nemore<sup>10</sup> urbano<sup>10</sup> spatiarentur<sup>11</sup>, Stephani aliquid in mentem veniret: «Veni mecum ad fabrum<sup>12</sup> lignarium<sup>12</sup>, dixit subito Ladislao.

Et abierunt. Ibi Stephanus iussit sibi subsellium fabricari, illi, quod in nemore urbano conspiceretur, et formā et colore simillimum. Et rogavit, ut faber lignarius subsellium accurate metiretur.<sup>13</sup> Cum convenit<sup>14</sup> inter<sup>14</sup> eos<sup>14</sup>, quanti subsellium faber fabricaret, et cum fabro negotium opportunum<sup>15</sup> videretur, is nemo urbanum ingressus est. Post nonnullos dies subsellium fabricatum erat et postquam duo iuvenes rite solverunt, faber quoque rite computationem<sup>16</sup> dedit: his dominis hoc subsellium viride fabricatum et pro eo honeste solutum esse. Et tunc incepit ludibrium.<sup>17</sup> Multo iam vespere scilicet, per vias tenebrosas humeris evexerunt subsellium in nemus urbanum et deposuerunt in margine cuiusdam viae silicibus<sup>18</sup> stratae<sup>19</sup>. Et insidentes, ut fauces patiebantur, animo<sup>20</sup> mollissimo<sup>20</sup> inceperunt cantare: «Flumen Maros lente labitur<sup>21</sup>...» Nemo admirari debet custodem<sup>22</sup> publicum<sup>22</sup> intra nonnulla puncta monentem adfuisse, ut in silentio essent. Illi oboedienter conticuerunt et levato subsellio domum ire parabant. «Quid vultis cum hoc subsellio?» acclamat illis custos publicus attonitus.

— Nihil aliud, quam ut domum portemus, — respondet Stephanus divinā simplicitate.

«Istud autem nequaquam facietis. Statim deponite! Hoc subsellium urbis est.»

— Erras, respondet quiete Stephanus, hoc subsellium nostrum est.

Tum ambo modesti, sed tenaces sibi omni modo subsellium domum ferendum esse enuntiarunt. Et quia frustra intercessit custos publicus, postremo factum est, ut omnes tres in excubitorium<sup>23</sup> irent: Stephanus et Ladislao cum subsellio et custos publicus severus.

Hic concipista<sup>24</sup> quidam severus excepit illos, minime amice, quia ex somno excitatus est, ut quosdam ordinem turbantes ordinem servare doceret. Videbatur autem casu non admodum laetari. Gemitu gravi assedit mensae, ut perscriberet<sup>25</sup> rem. Quae sunt nomina? Quando nati sunt? Ubi? Cui negotio<sup>26</sup> sunt addicti<sup>26</sup>? Ubi habitant? Et tunc interrogavit custodem publicum, cuius rei hi accusarentur, et iam quattuor foliis<sup>27</sup> conscriptis, ad iuvenes versus: «Qua de causa voluistis subsellium auferre?» interrogat.


— Nolimus scilicet, respondet Stephanus, domine, sub Iove<sup>28</sup> relinquere, ne forte quis auferret istud. (Concipista stupide admirabatur illos.) Et

postea, opus est nobis hoc subsellio in vestibulo.

— Quid, vos subsellium urbanum in vestrum domicilium portare voluistis?

Tunc Stephanus quietissime intercessit: «Erras, domine: hoc subsellium nostrum est. Opportune<sup>29</sup> accidit<sup>29</sup>, quod hac computatione probare possum» et in mensa deposuit computationem, in qua faber lignarius subsellium iussu dominorum indicatorum a se fabricatum pretiumque acceptum probat.

Oculi concipistae scintillabant<sup>30</sup> furore: Et cur non dixistis hoc prius?



Inter tales glaciatas moles rex Angliae in Americam vectus est (pag. 144).

— Sit venia<sup>31</sup> verbo, non dignatus<sup>32</sup> es nos de hac interrogare — respondet Stephanus.

Concipista discissis schedis subsellium a iuvenibus auferri iussit et iterum recepit se in lectulum, ut paululum dormitaret. Pacis erat amicus, et homines huius generis nocte dormire solent. Interea

<sup>10</sup> városliget = Stadtpark = bois de la ville <sup>11</sup> ambularent <sup>12</sup> asztalos = Tischler = menuisier <sup>13</sup> mértéket vesz vmiről = Maß nehmen von = prendre mesure sur <sup>14</sup> megegyezni = einig werden = convenir <sup>15</sup> előnyös = vorteilhaft = avantageux <sup>16</sup> számla = Rechnung = note <sup>17</sup> móka = Spiel = jeu, blague <sup>18</sup> kavics = Kies = gravier <sup>19</sup> borított = beschüttet = couvert <sup>20</sup> érzélgősen = sentimentalisch = d'un ton sentimental <sup>21</sup> folyik = fließen = rouler <sup>22</sup> rendőr = Schutzman = sergent de ville <sup>23</sup> őrszoba = Wachtzimmer = poste de police <sup>24</sup> rendőrfogalmazó = Konzipient = commis, rédacteur <sup>25</sup> jegyzőkönyvet felvenni = zu Protokoll nehmen = dresser un procès-verbal <sup>26</sup> foglalkozása? = Beschäftigung = profession <sup>27</sup> papírlap = Blatt = feuille <sup>28</sup> szabad ég alatt = unter freiem Himmel = dehors <sup>29</sup> szerencsére = es ist ein Glück = heureusement <sup>30</sup> szikrázni = funkeln = lancer des étincelles <sup>31</sup> bocsánat = verzeihen = excuser nous <sup>32</sup> méltóztatik = geruhen = vous ne nous avez point fait l'honneur de

iuvenes nostri lente portabant secum subsellium per vias, dum iterum alter custos publicus occurret iis, et interrogaret: «Quo portatis hoc subsellium?» Ne multa dicam, iterum ducti sunt ad excubitorium et cum concipista oculis somnum extersisset et eosdem, quos non multo ante depulit, conspexisset, paene furore dissiliens<sup>33</sup>:

«Iam iterum hīc estis cum hoc subsellio maledicto?!» — increpat illos.

«Inviti<sup>34</sup> domine, vere inviti — respondet Stephanus. — Nos subsellium domum portare volumus, sed semper impedimur.» Concipista iratus edocet custodem et dimissis omnibus, ita se lectulo iniecit, ut ille crepans<sup>35</sup> paene frangeretur.

Nondum semihora praeteriit, iam iterum a tertio custode concussus expergisci<sup>36</sup> cogitur et: «Domine concipista! Hi duo adulescentes hoc subsellium ex urbano nemore domum portare volebant, sed casu felici occurrerunt mihi, et ego tibi...»

Concipista exsiliens tantam alapam<sup>37</sup> duxit custodi infelici, ut ille etiam coelum fidulam<sup>38</sup> maximam<sup>38</sup> esse putaret<sup>38</sup>. Tum assedit mensae et perscriptis tribus foliis iudicium enuntiavit: subsellium retinetur, duobus iuvenibus autem domum ire licet.

Postero die custos publicus permissu magistratū suum<sup>39</sup> saginatum<sup>39</sup> accepit ab iuvenibus et nisi iam mortuus est, etiam hodie benedicat Hungaris. Subsellium autem postea publico decreto iuvenibus redditum est, sed die, non noctu, opportune suo<sup>40</sup> ipso<sup>40</sup> tempore<sup>40</sup>. Nam cum essent iam Iduus, ergo quasi finis mensis, iuvenes iam non habebant pecuniam ad calefaciendum. Quare subsellium viride laetum fragorem<sup>41</sup> in fornace edidit.

<sup>33</sup> megpukkad = plätzen = sauter <sup>34</sup> akarakunk ellenére = wider Willen = malgré nous. <sup>35</sup> recseg = krachen = craquer <sup>36</sup> felébredni = erwachen = s'éveiller <sup>37</sup> pofon = Ohrfeige = gifle <sup>38</sup> nagybögőnek nézte = für eine Baßgeige ansehen = prendre pour un contre-basse <sup>39</sup> hízott disznó = gemästetes Schwein = porc engraisé <sup>40</sup> éppen jókor = zu rechter Zeit = à un moment convenable <sup>41</sup> ropog, pattog = prasseln = pétiller



**Nuntii imperatorii.** Rex Britanniae, *Georgius VI* cum uxore in Americam navigans inopinate molibus<sup>1</sup> glaciatis<sup>1</sup> natantibus retardatus tribus diebus serius, quam constitutum erat, in Canadam advenit, ubi et ab Anglis et a Francogallis sollemniter acceptus est. Nondum enim unquam rex Britanniae in America fuit. — Simili studio *Guilmina regina* Bataviae Bruxellas adveniens a Belgis *Leopoldo* rege accepta esse nuntiatur. — *Paulus* princeps regens Jugoslaviae Romam adiit, deinde Berolinum ad *Hilferum Ducem* quoque proficiscetur, quo etiam

rex Italiae, *Victorius Emmanuel III* iter facturus esse dicitur.

**Nuntii ecclesiastici.** Summus Pontifex, *Pius XII* die Ascensionis<sup>2</sup> Domini<sup>2</sup> pompā sollemni comitante transiit in basilicam Lateranam, ubi ut episcopus Romanus missā pontificali celebratā «urbi et orbi» benedictionem apostolicam impertivit. — **Tihamerus Tóth** episcopus Veszprémiensis, orator



Tihamerus Tóth in bibliotheca sua.

ecclesiasticus in Hungaria hisce temporibus maxime carus acceptusque, immaturā morte: vix 50 annos natus morbo periculosissimo, meningiti<sup>3</sup> cerebri<sup>3</sup> succubuit. Tota Hungaria luget pontificem et doctissimum et humanissimum, iuventutis patronum amoris plenum, sed praeter omnes maxime lugent discipuli in gymnasio IPEA (Instituti Professoribus Erudiendis Adiuncto), ubi primus praefectus exploratorum<sup>4</sup> per decennium Tihamerus Tóth fuerat. «Quis desiderio sit pudor aut modus tam cari capitis?» Pater iuventutis, cuius memoriam nulla unquam oblivio debet, vale, in aeternum vale et in coelis ora pro nobis!

**Nuntii de «Juventute».** *Iosephus Huszti*, professor universitatis Budapestinensis, annis 1917—19 moderator ephemeridis nostrae (cuius commentationem de Ara pacis Augustae vide pag. 135), inter socios ordinarios Academiae Scientiarum Hungaricae electus est. Collaborator autem noster, *Geysa Bárzsi*, qui adnotationibus Francogallicis «Juventutem» instruit, sociis extraordinariis ab eadem academia cooptatus<sup>5</sup> est. Ambobus viris doctissimis sincero corde gratulamur. — Ephemeris nostra in dies magis magisque divulgatur. Habemus iam lectores extra Europam in America, in insula Barbados, in Palaestina, in Sina, etc. Etiam ceterae ephemerides saepius mentionem «Juventutis» faciunt, exempli causā *Societas Latina* Monacensis (quae summarium ephemeridis nostrae et aliarum singulari in fasciculis publici iuris facit), *Auxilium Latinum* Neo Eboracense (New-York), *Lygia* Varsoviensis, *Nuntius Latinus* Americanus (West de Pere), etc. *Nuntius Latinus* in recentissimo fasciculo edit epistolam ab Joanne Orlay, discipulo moderatoris ephemeridis nostrae scriptam.

<sup>1</sup> jéghegy = Eisberg = montagne de glace <sup>2</sup> áldozócsütörtök = Christi Himmelfahrt = Ascension <sup>3</sup> agyhártyagyulladás = Hirnhautentzündung = méningite <sup>4</sup> cserkész = Pfadfinder = éclaircur <sup>5</sup> beválaszt = hinzuwählen = coopter



**Pittacia<sup>6</sup> Hungarica** permutare cum discipulis Hungaricis aliisque desiderat *Wouterus Kroon*, domicilium: «Domus missionis = Missiehuis Driekuis-Velsen Nederland (Batavia, seu Hollandia).»

**Nuntii varii minores.** 58% auri orbis terrarum in Civitatibus Foederatis Americae, 13% in Britannia, 11% in Franco-gallia, singulae % in Germania, Italia, Japonia custodiuntur. — Mestrovics sculptor Croatiae clarissimus in urbem Bucarestam invitatus, ut statuum equestrem Carolo I regi Rumaniae (iam mortuo) fingeret, cum ministro institutionis publicae, Nicolao Zigre de hac re hungarice collocutus est, nam neuter linguam alterius scit. — Thygatrogymnasium<sup>7</sup> Sororum Anglicarum Kecskemétiense Nonis Maiis alterum decennium convictus seu scholae internae celebravit (vide imaginem). — Navis transmarina «Paris» in Portu Gratiae (= Le Havre) modo incognito inflammata et incendio adeo pervastata est, ut pondere aquae a siphonariis<sup>8</sup> immissae submergeretur. Calamitatis causa non scelus, sed negligentia nautarum fuisse dicitur. — In Rumania mercatores et societates commerciales, nisi tabulas<sup>9</sup> accepti<sup>9</sup> et expensi<sup>9</sup> lingua Rumanica conficiant, multo plus tributi solvere debent.

<sup>6</sup> levélbélyeg = Briefmarke = timbre-poste <sup>7</sup> gymn. puellarum <sup>8</sup> tűzoltó = Feuerwehrmann = (sapeur) pompier <sup>9</sup> üzleti könyvek = Rechnungsbücher = livres de commerce



Discipulae Theresiani Budapestinensis fabulam latinam agentes (pag. 153).

ut alii discipuli legant ephemeridem tam pulchram. Dic nobis, quaesumus, utrum scripta nostra tuis discipulis et lectoribus placuerint, necne.

Vale. D. Lucano. a. d. IV. Kal. Maias.

<sup>1</sup> felejthetetlen = unvergeßlich = inoubliable

## Carissimi Amici Helvetici!

Magno gaudio nos affecit «Fasciculus Helveticus» ephemeridis «Juventus», qui fere scriptorum vestrorum plenus erat. Ex quibus scriptis et imaginibus cognoscere possumus tempus praesens et praeteritum, situm, formam rei publicae, ne multa dicam: vitam Helvetiae, patriae vestrae. Gratias vobis agimus quam maximas, quod ostendistis nobis patriam vestram, quam ex studiis scholasticis non tam bene novimus, quam nunc. Probabiliter vos plus de nobis scitis, nam «Juventus» lectores semper certiores facit de Hungaria. Sic scitis etiam in Hungaria regiones pulcherrimas esse, quae nuper Subcarpathiā receptā auctae sunt, quo facto autem resurrectio Hungariae nondum finita est, cum plusquam dimidium Hungariae integrae adhuc gentes exterae teneant. Hoc territorium armis ingenii cum pace recuperandum est, qua de causā iuventus Hungarica magna cum diligentia discit omnes res utiles. Linguam latinam — quae


## Commercium litterarum.

### Dr. Iosepho Wagner moderatori ephemeridis „Iuventus”

discipuli et discipulae Gymnasii Lucanensis s. d.

Gratias agimus verbis optimis quam maximas pro tua benignitate erga nos et magistrum nostrum atque erga patriam nostram caram. «Juventutis» fasciculus Helveticus erit semper nobis memoria inobliterata<sup>1</sup> studiorum nostrorum.

Tibi promittimus nos aliquid semper scripturos esse tuae ephemeridi optimaе et operam daturos,



Auditorium et atrium thygatrogymnasii Sororum Anglicarum Kecskemétiensis.

secundus sermo patrius veterum Hungarorum fuerat — maximo studio omnium linguarum externarum discimus, quia huius operā vobiscum et cum aliis externis gentibus coniuncti esse possumus. Denuo gratias referimus de scriptis vestris, quae nobis valde placuerunt, et firme credimus hoc fasciculo amicitiam mutuam populi Helvetici et Hungarici, praecipue iuventutis duorum populorum haud mediocriter confirmatam esse. Studio exspectantes vestra scripta futura ex toto animo vos salutamus! Valet!

In nomine discipulorum Hungaricorum «Juventutem» legentium

Nonis Maiis, a. 1939.

*Ladislaus Keleti* disc. VI. cl. gymn. IPEA. Bp.

## De Monstratione\* Nationali\* Helvetica.

Pridie Nonas Maias a. MCMXXXIX monstratio seu expositio multo labore industriāque effecta Turici<sup>1</sup> publice aperta est. Mane tonitrus XXII ictuum<sup>2</sup> tormentis<sup>2</sup> magnis effectorum<sup>2</sup> e somno excitavit oppidum Turicum magnifice ornatum vexillis variis singulorum pagorum<sup>3</sup> et permultis vexillis crucem albam in fundo rubro monstrantibus. Mox septem summi Helvetiae magistratus, quos nominamus consiliarios<sup>4</sup> confoederationis<sup>4</sup>, advenerunt in stationem principalem viae ferreae magno gaudio et acclamatione totius populi accepti.

Deinde gloriosa pompa<sup>5</sup> per mediam urbem ad lacum Turicensem iit: in primo agmine turma equitum, deinde cohors signiferorum, magistratus, praefecti militum, populus vestibus nationalibus indutus, cornicines tubicinesque. In lateribus viae, qua pompa movebatur, discipuli vexilla cuiusque municipii<sup>6</sup> totius Helvetiae extenderunt.

In novo aedificio ad congressus accipiendos aedificato expositio praesidi Confoederationis Helveticae, Philippo Etter, et populo tradita est. Post meridiem aeroplani partim crucem formantes, partim vexilla XXII pagorum ferentes supra urbem gyros<sup>7</sup> variaverunt.<sup>7</sup> Item aeroplanus, qui fecerat magnum iter ad expositionem per totum orbem terrarum propagandam vel notam faciendam, Budapestino reversus Turicum supervolavit. Per XXV annos iam Helvetii tantam tamque magnificam rem non viderunt; quippe expositio proxima fuit a. MCMXIV, quo anno bellum illud ortum est, neque fuit Turici, sed Bernae, in capite Helvetiae.

In utraque ripa lacūs Turicensis sita expositio magnificum prospectum in colles lacum cingentes et in Alpes nive candidas praebet. Naves naviculae-

\* országos kiállítás = Landesausstellung = exposition nationale

<sup>1</sup> Zürich <sup>2</sup> ágyúlovések = Kanonenschüsse = coup de canon <sup>3</sup> vulgo: Cantonum <sup>4</sup> szövetségi tanácsosok = Bundesräte = conseiller fédéral <sup>5</sup> felvonulás, díszmenet = feierlicher Umzug = cortège <sup>6</sup> község = Gemeinde = commune <sup>7</sup> köröket ír le = (verschiedene) Kreise machen = tournoyer



Aspectus urbis Vesprimii e longinquo (pag. 133. Ex periodico «Élet»).


que variae [et ferrivia<sup>8</sup> pensilis<sup>8</sup> funicularis<sup>8</sup> duabus altissimis turribus et funibus fortissimis commeatum<sup>9</sup> vel circulationem inter duas partes expositionis facilem et iucundam reddunt. In ea parte, quae in ripa lacūs sinistrā sita est, etiam naviculae in canali longo aquā fluenti pleno spectatores per miracula expositionis agunt. Quae omnia describere longum est.

Non solum opera artificum fabricatorumque et opes terrā per industriam agriculturalum editae monstrantur, sed etiam cultura<sup>10</sup> animi<sup>10</sup> magnifice varieque exponitur, fingitur, et pingitur, exempli gratiā res gestae Helvetiorum, educatio, artes. Haec omnia in aedificiis exposita sunt, quae et ipsa artificia sunt; nam optimi clarissimique architecti ea exstruxerunt, Pratis, floribus, arboribus totum expositionis oppidum, ut ita dicam, ornatum atque cinctum est. Omnibus modis et artibus, ab omnibus hominibus artificibusque una res demonstratur celebraturque: Helvetia nostra.

N. Wunderlin,

cl. VI. sc. paenultimae gymnasii Turicensis.

<sup>8</sup> drótkötélfüggővasút = Seilschwebebahn = téléphérique <sup>9</sup> közlekedés = Verkehr = trafic, circulation <sup>10</sup> szellemi élet = das geistige Leben = vie intellectuelle



## De vi electrica sine filo ducta.

Etiam undā electricā vis electrica sine filo duci potest, quae tamen tam parva est, ut tantum vocem edere possit. Sed ad maiorem rivulum<sup>1</sup> electricum ducendum experimenta prospere facta sunt ab inventore clarissimo Americano, Nicolao Pelsa, qui alterum polum rivuli electrici<sup>2</sup> ad terram iungere, alterum in aëre altissime ducere conabatur, quod propter bellum mundanum perficere non potuit. Alii undas electricas per breves ad eandem viam dirigere experiebantur, quae, sicut undae luminis, dirigi possunt; undae enim, quae non diriguntur, in omnes regiones passim dissipantur.<sup>3</sup> At nunc exiguitas vis electricae, quae produci potuit, molestā fuit. Whitney autem, vir praeclarus Americanus, machinam undas electricas producentem paravit, quae tantam vim electricam transferunt, ut undis in rivulum transformatis etiam cena coqui possit. Dolendum<sup>3</sup> est, quod<sup>3</sup> hoc non nisi in laboratorio factum est.

Omnes superat Thomas Philips, qui cylindrum aërium undis 24 cm-orum definitum parare vult, quo rivulus electricus aequae filo duci possit. Quod si perficere potest, etiam problema radii mortiferi persolutum<sup>4</sup> est. Homo enim hunc cylindrum invisibilem intrans, si alter polorum terra est, rivulo electrico statim necatur. At in aëre rivulum electricum ducenti scintilla<sup>5</sup> electrica fieri non po-



Urbs Turicum (= Zürich).

test, machinae igitur scintillis actae se promovere non possunt, itaque aëroplani quoque descendere coguntur. Quo facto non solum ars electrotechnica invento mirabili, sed etiam bellum armis telisque periculosissimis augetur. Gaudendum est hoc problema nondum persolutum, sed tantum persolvendum esse, nam de successu definito nondum certiores facti sumus, tamen spes est fore, ut tandem succedat, nisi Deus Omnipotens ipse impedit, quominus multitudo innumerabilis hominum hoc invento horribili pereat.

Ladislav Javorik disc. Tatanus.

<sup>1</sup> áram = Strom = courant <sup>2</sup> szétoszlani = zerstreut werden = se disperser <sup>3</sup> sajnos = leider = dommage <sup>4</sup> megold = lösen = résoudre <sup>5</sup> szikra = Funke = étincelle

## Vincentius Furch (1817—1864):

### Metra Sapphica.

#### I. Alauda et poeta.

*Ad polum tendit — veluti sagitta —  
limpidum carmen modulans alauda:  
sed dato cantu remeat volatu  
praepete terram.*


*Sic petit vates quoque summa caeli  
nec tamen longe per inane fertur:  
bruta nam tellus revocat volantem  
aetheris oris.*

#### II. Laurus et papaver.

*Laureos vobis sinitote ramos!  
At mihi fragrans potius papaver  
detur: huius flore mihi coronam  
nectere mos est.*

*Somnio solo mea corda gaudent,  
vita me fallax ubi saepe lusit:  
somniafer quare mihi flos petenti  
ille negetur?*

Convertit Prof. Fr. Palata  
Trebicensis (in Moravia).



## RES FEMINEAE.

### Mores matrimonii in insulis Philippinis.

Inter indigenas harum insularum exstat quidam mos matrimonii<sup>1</sup> ineundi<sup>1</sup> notandus. Si iuvenis et virgo nuptiis<sup>1</sup> inter se<sup>1</sup> iungi<sup>1</sup> volunt, primum propinqui amiceque eorum circumeunt ad palmas aptas quaerendas. Non ad palmas vulgares ibi abundantes, sed quae rectae, sicut candelae<sup>2</sup> crescunt, aequaliter altae sunt et altera propter alteram stat.

His inventis die nuptiarum sponsus<sup>3</sup> et sponsa<sup>3</sup> convivis<sup>4</sup> nuptialibus<sup>4</sup> circumsaepi<sup>3</sup> adeunt et ad cacumen<sup>5</sup> arboris pervenire contendunt. Hic sponsus cacumen alterius palmae, quae sponsam habet, ad se trahere tentat. Hoc usque repetitur, dum sponsus frontem sponsae attingere potest, quod ut fiat, etiam puella adiuvarum conatur. Hoc facto maximus natu convivarum matrimonium rite contractum (= initum) esse exclamat et illi duo iam non sponsus et sponsa, sed conjuges nominantur.

Magdalena Jóború Bp.

<sup>1</sup> házasságkötés = Eheschließung = contracter mariage <sup>2</sup> gyertya = Kerze = chandelle <sup>3</sup> jegyespár = die Verlobten = les fiancés <sup>4</sup> násznép = Hochzeitsgäste = les invités de la noce <sup>5</sup> teteje = Gipfel = sommet



Pugna equestris iocosa iuvenum, qua finita et victores et victi in frigida aqua piscinae se recreant.

## LECTORIBUS MAIORIBUS.

### Inscriptiones Latinae. (4)

Opera tectoria symbolica vitam spirantia.

Scripsit: —s.

9. «*Clastrum esse securum.*» — Avis (columba?) in claustris depingitur maximo angore videns avem quandam rapacem advolantem. Utinam e claustris effugere avolareque possem — ingemiscit avis captiva. At nihil illi timendum est, cum ipsa claustra, etsi libertatem coërcentia, avi vere salutis sint. Termini nos coërcentes — variis rebus — optima sunt, etsi incommoda, immo vere summi momenti, quibus mala vel nonnunquam etiam excidium subterfugiamus.

10. «*Libertate perit.*» — Dolium videtur, quod aliquando refertum erat, at nunc circulis resilientibus, vino effuso plane dissolvitur. Vinculis, id est circulis haud integris, suoque loco non applicatis dolium postulatis par esse non potest. Si modus exceditur, pravitas, immo interitus efficitur et in singulis hominibus, et in communitatibus.

11. «*Ut coelo assurgant.*» — Arboribus palmae parvis crescentibus omnibus adest pālus. Solis pālis tutum redditur, ut arbores recte accrescant. Vita etiam singulorum hominum, etiam societatis recte modo tunc evolvitur, si leges legitimae integrae servantur.

12. «*Aris pars prima laborum.*» — Circa apiarium apes volitant laborantes, mel colligentes. Sicut e cera apibus colligata fit cereus in altaribus Domini, ita etiam nos primitias animi, immo omnes facultates nostras imprimis Deo offerre eique servire debemus.

13. «*Non sibi sed Domino.*» — Canis venaticus bene instructus venatori agitat leporem, nihilque facit, nisi quod dominus iubet. Deo servire, non nobismet ipsis, vel aliis: est primum ac summum officium nostrum!

14. «*Incassum repetes data frena.*» — Equus robustus omnibus vinculis ruptis videtur se arrectum tollens, iam iam in discrimen summum vitae se illaturus. Principiis obsta — praedicatur nobis de imagine. Desideria improba semper deligata teneantur oportet, nam vel semel effusis habenis cupiditates haud facile — gradatim difficilium — possunt cohiberi!

(Finis.)

### De Alba Regia.


Alba Regia, regina quondam urbium, audito nomine tuo mihi sensus caritatis sinceræ verbo ineffabiles ex intimo corde viri prorumpunt.

Historia, vita tua factis, institutis, certaminibus est clarissimis conspicua. Tuum caelum — terram nobilem obtegens — stellis heroicam animam excitantibus est ubique conspersum. Sive in antiquitatem redeo temporum, usque ad illud inclytæ gentis Hungaricæ gloriosissimum exordium, sive novissimas nunc intueor aetates, semper admira-

tione quadam sublimi pietateque erga te humili repletur anima mea. Exemplar tu semper imitandum fuisti et lucidum speculum vitae humanae superioris et centrum insigne vitae Hungaricae prioris. Origo, reliquiae, monumenta tua regia nunc quoque excelso capite nuntiant posteritati traditionem tuam altiore solito et nobiliorem. Palatium et basilica in ruinis amplissima, quae S. Stephanus olim et sui, nobiles Hungarorum frequentabant, commoratione et oratione S. Emerici sanctificata, virtute et obsequio virorum Hungaricorum fundata et solidata, etiam nunc in rerum fugaci varietate tamquam faces flammis spiritualibus altissime splendentes spatia Hungarica perlustrant. Petrae et lapides, muri et aedificia tua prisca omnia indicia sunt tuae superioritatis. Et quis nostrum memoriā possit tenere cuncta tua magna? Quis facta regum in te sedes habentium, quis coronationes in te factas recte et rerum fidus describere? Tuam vitam plerumque absconditam et in horto irrigato fruges amplissimas ferentem quis nunc in sua originalitate

oculis praeponeret nostris? Tamquam parvulus rerum inscius et paene ignarus aure pietatis arrectā expectat os patris loquens omni veritati accipiendae naturā aptissimus, sic nos filii tui unquamque rem etiam minimam tuam excipimus. Omnia enim in te altiora petunt nec praesens saeculum tibi magna denegavit... O quae urbs quaeque civitas possit ostentare talem virum,<sup>1</sup> quem nuperrime habere laeta delectabar et habuisse nunc piā animā gloriaris? Et si intro templum huius tui episcopi venerabilis memoriae dicatum, quam augusti me obruunt sensus! Odor sanctitatis circumflat auras et oblatio pietatis fidelium pertingit intima corda. O hic iam potest crescere anima Christiana, hic iam florere et ferre fruges ditissime potest. Regio humus alma apricosa hic est: Spiritus Dei et interioris hominis hunc obtinet locum. Dein si transeo tua loca et perambulo tuas vias floribus et naturae et industriae humanae ornatas, si gaudio imo tuis foris et hortis pulcherrimis delector,


<sup>1</sup> Ottocarum Prohászka episcopum a. 1929 mortuum.



Emblemata refectorii archicoenobii Pannonhalma 9—14 (pag. 148).

tunc luce clarius apparet mihi tua vera magnitudo et interna et externa — liceat mihi dicere — sempiterna. Lustris primis feliciter peractis venerunt quidem et tibi fortunae adversae, sed navis tua semper victrix fluctuum superabat truces impetus. Invicta permansisti!

Quorum factorum tuorum, Alba Regia, reminiscendo et fila sortis tuae ponderando evolvuntur mihi signa vocationis tuae nobilioris et rerum facie externā substracta intima quaedam et pro-



Hoc in aedificio sarcophagus S. Stephani regis custoditur.

funda providentiae Dei omnipotentis rerum arcana mystica pie consideranti susurrunt. Vivis tu, Alba Regia, sensu Christiano, secundum Christum vivis et ideo habes vitam, abundantius vitam. Utinam haec tua vita nunquam florere desinat et in spatia saeculorum immensa suos ramos fructiferos extendat. Fiat, fiat, fiat...

*Georgius Keyges disc. Albaregalensis.*

### Ottocarus Prohászka de pane coelesti.

(Ex opere eius, quod «Meditationes de Evangelii», inscribitur.) Latine reddidit: *Alexander Simon* e Scholis Piis. Bp.

*Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite: hoc est corpus meum. (Mt. 26. 26.)*

Cogitationes Dei sublimes et hominum humi

repentes nulla in re tam, quam in hac inter se opponuntur. Nos cogitationibus mundum metiri solemus mutabilibus. Oculos in mundum conicimus, quem modo magnum, modo putamus parvum. Omnia redigimus in systemata, dein diruimus omnia; super ruinas ambulando progredimur... en, fides quoque super ruinas cogitationum nostrarum humi repentium progreditur. Nos satis habemus Iesum — amatorem nostri — dixisse: «Hoc est corpus meum», id, quod Ille praesens sit, nos gratiā et gaudio repleat sollemni, licet — quomodo praesens sit — minime intelligamus.

Mysterium hoc ab apostolis est traditum nobis; mysterium hoc unā cum evangelio est profectum et ubique terrarum divulgatum. Ecclesia Christophora muris catacubarum insculpsit impinxitque anulum et lyram ac palmam, symbola amoris Iesu facundissima. Mens atque animus Ecclesiae erat huius mysterii refertus; cantus eius de hoc arcano canebant; altaria eius omnia huic sacra fuerunt; Ecclesia nihil maius invenit, quod credi, amari, cantari, pingi, in saxo insculpi posset. Ego quoque haec vestigia premo; credo... et fides mea est robore et spe et gaudio plena.

Hoc mysterium merā ratione haud comprehenditur; ratione et ingenio, quod charitate divina inspiretur, opus est ad hoc percipiendum. Mysterium hoc a Iesu datum est, cum cor eius amoris esset plenum. Charitas est vis quaedam procreans; voluntas ad maiora facinora peragenda hac incitatur. Deus mundum creavit, quia amaverat. Novum mundum nunc procreat, quia amat. Quae charitas ad credendum nos movet; qui queunt amare: queunt et credere. «Nos credidimus veritati.»

### Fabula de origine Hungarorum.

Clarissimo dr.-i *Josepho Wagner* «Juventutis» moderatori d. d. Auctor.

(Metrum Alcaicum.)

*Sedes sub isdem montibus Hungari  
Iuncti Polonis dum renovant suas,  
Fert fama, quo terrarum in orbe  
Gentis origo sit Hungarorum:*

*En mille enim annis ante, ea pellibus  
Succincta, agrestis vivere gens solet,  
Instans feris, clivosque servat  
Montis Hyperboreos Urali.*

*Binos Maenrot tunc habuit satos,  
Quorum alteri Hunor, nomen erat, Mogor  
Alter vocabatur, duoque  
Hinc iuvenes aliquando abibant*

*Venatum: Habenti cuique equitum gregem  
Cervo necato cerva venit fugax  
In visum; agunt illam, sed acta  
Effugit ex oculis eorum.*


*Sensere se erravisse modo e via;  
Ast cerva prima luce iterum venit  
In visum; agunt illam sequentes  
Innumerasque vias vagantur,*

<sup>1</sup> dat, dicat, dedicat.

*Dum iam ad paludem perveniant feram  
Dictam Meotim. Non tamen amplius  
Hic paret unquam cerva: at orbe  
Quo facerent iter, haud sciebant.*

*Sedem locarunt hoc igitur loco  
Pleno ferarum, (Centum homines erant,  
Cum fronte quinquaginta haberet  
Frater uterque equites venustos).*

*Post consequentes magnificas casas  
Dulcis videbant hic genitas duas,  
Quae membra cum centum puellis  
Ad numerum lepidis movebant.*



Hunor et Mogor cervum venantur.

*Fortes viri exin abripiunt eas  
Foedusque firmum mox ineunt tori:  
Hunoris heredes et eius  
Militum abhinc referuntur Hunni;*

*Dum priscus heres et pater Hungarum  
Exstat Mogor, vir pectore fortior:  
Invictus in bellis perinde  
Hungarus est, fuit et manebit.*

*Gaudete, cives! Fidite patriā,  
Quae tota certe redditur Hungaris!  
Vobis Poloni sunt amici,  
Pectora athena, duces leones!*

Vilnae, Id. Mart. 1939.

Rud. Nowowiejski.

## Vita et doctrina Buddhae.

Gautama Buddha anno a. Ch. n. 560 prope oppidum Lumbini natus est. Ut fabula narrat, mater eius ramum fici decerpere voluit, cum filio vitam dedit. In momento nascendi natura subito se defixit et in toto orbe terrarum silentium immensum dominavit. Pater eius rex alicuius provinciae in Asia, maxime opulentus fuit. Ineunte aetate Buddha vitam iocosam et securam egit. Laetitia autem aulae regiae vitam hominum veram

ab oculis iuvenis remove non potuit. Nam animus eius facile sentiens latus vitae atrum quoque appercepit et eum ad cogitandum movit. Olim puella, cum Buddha vitam splendidissimam beatitudinemque suam laudaret, dixit: «Beati sunt, quorum cor pacem invenit. Pax autem ibi, ubi scelera et libidines flammam dant, interfecta est». Aliquando autem ambulans hominem magnis doloribus luis cruciatum videns abhorruit. Sic animo sollicito vitam opulentam et vanitatibus abundantem reliquit, ut se in vitam solitariam abderet. Hic permultum cogitavit abstinens cibis quoque et doctrinam suam elaboravit.

Principium doctrinae eius docet vitam doloris

malique plenam esse. Causa dolorum omnium desiderium est, quod homines debent ex animo eiicere, ut beati sint. Haec existentia animi cupiditibus carens «brahman» nominata est. Brahman est consequenter superior perfectiorque vitae animi gradus, ad quem laboribus tantum magnis onerosisque, vitam morali et factis bonis possunt homines pervenire. Hominis studium magnificentissimum esse debet hunc statum «brahman» pervenire, id est se cum animo universitatis consociare. Buddha dixit: «Qui cupiditatem vitae devincit, de illo decidit dolor, sicut gutta de flore loti».

In vita quattuor species dolorum sunt: natus, senectus, morbus et mors.

Buddha sic demonstrat causam dolorum esse ignorantiam doctrinae Buddhae: 1. Qui ignorat doctrinam Buddhae, se non potest regeneratione distrahere. 2. Ex regeneratione profluit cognitio. 3. Cognitio est individualitas psychologica. 4. Ad individualitatem pertinent sensus. 5. Ex sensibus exstant impressiones. 6. In impressionibus voluptates sunt. 7. Homines exoptant plures voluptatum et hoc modo fit sitis vitae, desiderium. 8. Pro siti vitae, pro desiderii homo adhaeret existentiae; 9. Ex adhaesione vitae prosequitur series generationum. 10. Ex generatione adstat partus. 11. Ex partu profluunt senectus, dolor, desperatio et mors. 12. Itaque ab ignorantia doctrinae Buddhae profluit dolor. Quod erat demonstrandum.


Sine dubio doctrina Buddhae vitam atram et

pessimam putat, sed ideo secundum multos philosophos clarissimos haec doctrina post eandem Christi prosequitur. In disciplina Buddhae potest etiam simplicitas et sapientia rationibus morum nobilissimis coniuncta reperiri. Ecce praecepta quinque doctrinae: «Noli interficere, furari, adulterare, mentiri et ebrius esse». Haec sunt iussa nobilissima, quae homines corrigere volunt.

Nostris temporibus sunt, qui Buddham sequendum esse dicant, quia salutem seu liberationem (brahman) sine gratia divina homo suo ipsius studio attingere potest. Miserandi, qui non perspiciant sublimitatem fidei Christianae atque misericordiam Dei infinitam, qui suum filium unigenitum dedit generi humano salvando.

At hodie principia auctoris a successoribus prava facta sunt et sic Buddhismus fere formis ridiculis indoctisque corruptus est.

Buddha in casa fabri cuiusdam anno a. Chr. n. 480, cum carnem duram apri comedisset, mortuus est. *Emericus Kolma* disc. univ. Pázmányanae Bp.



### Fautores nostri.

Lector, qui «Iuventutem» perlegere solet, in ima ultimae paginae parte pro praesidis **dr. Joannis Kisparti** nomine novum inveniet. Nam praeses, qui adhuc nostrae societati praeerat, cuius in nostram societatem maxima et innumerabilia sunt merita, officio suo per sexennium eximie functus honorem, ut leges nostrae societatis praescribunt, detulit



Andreas Zibolen dr. novus praeses noster.

**Andreas Zibolen** dr.-i, successori suo, a studiis consiliario superiori, rectori gymnasii *IPEA*, quem multiplex opera assiduaque industria, quam rebus catholicis institutionique publicae per viginti quinque annos impenderat, maxime commendarunt, ut praeses nostrae societatis crearetur. Novus praeses, cum nostrae ephemeridis moderator percontatus adisset, quid tandem censeret, quid momenti atque ponderis haberet «Iuventus», sic locutus est: «Ceterae iuventutis ephemerides, cum adolescen-

tulorum animos religione imbuunt, amore patriae inflammant suae ipsorum gentis spiritus foventes et colentes non est, quod vereantur, ne aliarum nationum dolorem concitarent, siquidem commodis iuventutis solā patriā linguā loquentis inserviunt. At vero «Iuventutis» perdifficilis est et lubrica ratio. Est enim sermo Latinus, cuius commercio nationes inter se utuntur, pervulgatissimus. Quare



Sententia Rev.-mi Dom. Patricii Stuhlmann photographiae suae addita (pag. 153).

Ephemeridi utilissimae, optimae ac dilectissima nostrae Latinae popularitatem generalem; prosperitatemque maximam ideo exopto, ut quod non indigne inceptit, summa gloria continuare possit.

Nonis Maiis Anno 1939.

*Patricius Stuhlmann*

summa adhibenda est cura, cum nostratium puerorum animis infunderimus patriae amorem, ne adolescentulorum tot nationum animi laedantur. Nefas est igitur in res civiles, quae tum ipsum geruntur, in studia partium explicanda, in quaestiones de rerum publicarum diversā ratione ita se insinuare, ut vinculum familiaritatis, quo lectores «Iuventutis» copulantur, laxetur. Verum in nuntiorum narratione, qua ephemeridis vigor et alacritas mirum quantum efflorescit, nullo pacto fieri potest, quin etiam de rebus maximi momenti ut nuper de recuperatione partium a corpore Hungariae avulsarum agatur. Aequum autem lectorem non putaverim aegre tulisse nos Hungaros maiore laetitia erectos fuisse. Ceterum in nuntiis referendis quoque cautio est adhibenda maxime, neque in eam partem sunt



interpretandi, ut in legentium animis offensio quaedam oriatur. Id vero maxime spectandum est, ut in «Iuventute», tamquam in quadam solitaria insula<sup>1</sup>, in lingua Latina colenda omnium politarum et humanitate excultarum nationum cives concorditer vivant Christi praeceptum sequentes: «Reddite ergo, quae sunt Caesaris, Caesari et quae sunt Dei, Deo». Ex eo, quod «Iuventus» his temporibus hominum animos maxime exacerbantibus in terris ingenio atque rerum humanarum contemplatione et perceptione tam diversis in dies plures sui studiosos amicos parat, apparet eam rectā viā ad ea consequenda progredi, quae sibi proposuerit.»

2. Inter excellentissimos paedagogos, qui «Iuventutis» studia et conatus re et consilio adiuvant, necesse est meminerimus Suae Reverentiae, **Patricii Stuhlmann**, canonici praemonstratensis, praesidis rectoratus catholici superioris regni, «Scientiae amabilis» (1928—1929) et multorum aliorum librorum paedagogicorum auctoris, quem nostrae societatis sectio Budapestinensis nuperrime praesidem h. c. creavit. Virum reverendissimum nostrae ephemeridis moderator in domo rectoratus, in foro Vörösmarty sita, laute eleganterque instructa adiit orans et rogans, ut lingua Latina quem usum sibi in itineribus peregre factis praebuisset, narraret. Tum vir Rev. haec, quae sibi usu venissent, narravit ei:

«Anno 1900 fui in insula «Melita (=Malta), cuius incolae sub ditioe Anglorum etiam tum Italici erant. Dum ibi commorabar, diu multumque cogitabam, quanam inter Anglos et Italos intercederet ratio. Tum nondum callebam linguam Italianam neque quemquam nactus sum, qui me edoceret.

Cum iam Neapolim navigaturus navim conscendissem, *Elimerus Császár*, professor Universitatis Budapestinensis, itineris socius admonuit me in prora quandam mercatorem provectoris aetatis sedere, qui luculenter Latine loqueretur. Accessi eum et cum inter nos sermocinaremur, comperi eum Romae quadriennium novicium fuisse ibique linguam Ecclesiae edidicisse, neque eam dedidicisse. Usque ad Neapolim non desiimus Latine loqui et ad omnia, quae scire cupiebam, respondit. Fui etiam Upsalae ante bellum mundanum. Erat mihi in animo convictum invisere. Tandem incidi in quendam, in cuius oeco *Linnaei* facies marmorea albebat, sed auditor Universitatis, cuius curae convictus per feriarum tempus concreditus fuit, nullā Europaeorum linguarum, quae quidem nobis nota erat, loquebatur. Tandem venit mihi in mentem eum fortasse Latine scire. Romanorum linguā adfatus sum eum et ad omnia mihi Latine respondit. Sed mirifice pro c : k dixit (Kikero, Kaesar etc.)»

<sup>1</sup> vulgs : oasi


## Vivum Latinum.

1. **Ludus scenicus latinus.** Pridie Nonas Maias discipulae gymnasii puellarum Theresiani Budapestinensis sollemnes ludos ediderunt. Fabula quae «In schola» inscribitur ad actum scenarium compositum a discipulabus classis tertiae optimo cum successu acta laetoque plausu excepta est. Puellae tunicam et togam praetextam puerorum Romanorum induebantur, quia apud Romanos puellae domi a matribus educabantur. In medio tamen

puellam parvam videmus, quae domo furtim aufugit scholam frequentandi causa. In photographia ludi magister Titum Septicium Clarum, cum filium in ludum apportat, salutat. Ornamenta ludi quae a discipulabus confecta sunt (pag. 145). Fabula ipsa in fasciculo mensis Septembris edetur.

2. **Oratio saluatoria latina** in conventu Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum peregrinatorio in urbe nuper liberata Komárom a moderatore habita:

Reverendissimi Patres! Carissimi Collegae utriusque sexus! Audivimus iam hodie primores illustrissimorum paedagogorum Hungariae, qui delectaverunt nos omnes eloquentiā faciundiaque suā. Nunc sub ipsum finem huius diei amoenissimi liceat etiam mihi in nomine «Iuventutis», quacum multo pluribus vinculis quam alii coniunctus sum, simpliciter et pauca loqui. Proverbium Hungaricum dicit: «Bonus sacerdos ad mortem usque



Deversorium «Hotel Residence» in urbe Geneva hac tabulae memoriali ornatum est, cuius inscriptio latina Adalbertum e comitibus Apponyi immortalitati tradit.

discit». Huic ego proverbio addendum esse puto hoc: «Etiam bonus paedagogus ad mortem usque discit». Nam sicut sacerdos, etiam paedagogus quidquid discit, non sibi ipsi, neque suo commodo et utilitati discit, sed saluti eorum, quorum curam et educationem susceperit. Quare etiam ego, ubicunque sum, semper id quaero, quid boni pulchrique discipulis meis tradendum discere possim. Si igitur nunc interrogo, quae hodie in hac antiqua urbe Komárom sanguine tot bonorum civium militumque sacratā didicerim, respondeo: amorem patriae et fidem vere Christianam. Nam cives huius urbis — ut vetustissimas illas pugnas cum Turcis omittam — iam temporibus Francisci Rákóczi II principis non Labanzones qui dicuntur, sed Curuzones milites principis adiuvabant nec vitae et sanguini, nec pecuniae parcentes. Anno autem 1849, cum tota iam Hungaria sub dicionem Habsburgorum a Russis adiutorum redacta erat, sola haec arx Komáromensis diu frustra oppugnabatur, et *Georgius Klapka* dux intrepidus, cuius statuatam hodie *Georgius Balanyi* rector Scholarum Piarum tam pulchrā ora-

tione habitā floribus nostris coronavit, fortissime resistens tandem effecit, ut cum militibus suis servatā et honestate et libertate arcem relinquere posset. Deinde aetate illius oppressionis Bachianae nationi nostrae solacium ac spem meliorum futurorum temporum *Maurus Jókai* praebeuit. Quemadmodum in mythologia Graeca Hercules Antaeum gigantem devincere non potest, nam quotiescunque gigas prostratus terram matrem tetigit, toties a matre denuo confirmatus ad novum luctum surrexit, sic tum *Jókai* renovatā memoriā historiae Hungaricae in fabulis suis romanensibus, quarum titulos hodie collega noster *Alexander Regényi* ante statuam poëtae eloquenter enumeravit, novam vim et patientiam civibus dedit, dum a. 1867 Franciscus Iosephus rex nationem nostram sibi reconciliaret. Et nunc novissime, cum bello mundano finito status urbis Komárom multo peior erat, quam aetate Bachiana, nam novi tyranni non solum Vergilii verba secuti: «Veteres migrate coloni!» permultos optimorum civium expulerunt, sed etiam impederunt, quominus libri ex Hungaria mutilata importarentur, cum igitur fratres nostri hic ne solacium quidem in fabulis Mauri *Jókai* quaerere potuerunt, unum refugium tamen patuit civibus oppressis: Deus. Hungari hoc in aedificio, hoc in gymnasio, hoc in claustro reverendissimi ordinis S.-i Benedicti, qui vidit iam alios ventos, invenerunt hoc refugium, ultimum solacium. Bonifacius Hidro rector collegaeque eius adhortabantur et senes et iuvenes, ne desperarent et preces clandestinae in coelis auditaerunt. Ecce hodie primum huc convenimus Hungari hinc et illinc, denuo cives eiusdem patriae antiquae, aliquanto maioris, quam anno 1919. Gratias igitur agimus reverendis Patribus Benedictinis duplices: primum pro hospitalitate vere Hungarica, deinde pro tot rebus magnis, quas hic didicimus. Scio hanc trinitatem: «Pro Deo, pro patria et libertate!» talibus ducibus iterum regnaturam esse in hac urbe. Quare illis precibus sanctis facio finem loquendi, quas nunc iam hic quoque aperte et magna voce licet ad coelum mittere: «Credo unum Deum, credo unam patriam, credo unam divinam aeternam iustitiam, credo Hungariae resurrectionem. Amen!»

Ante omnia  
Tibi universisque Latinitatis amantibus S!

Anno Domini MDLVI.

Peregrinator ad St. Iustum.

«Tenebrosa nox adest saeva cum tempestate:  
Hispanorum monachorum portas reserate!  
Sinite quiescere me, donec Vos campanae  
Concitant horae sacras ad preces haud profanae!»

Date, quod potest, appeto, Vestra domus parca,  
Atra vestis Vestra misero mi sit et arca!  
Locum date cellae, me sacratae, nil egebam,  
Orbe regnum bipartito majus possidebam!


Caput meum, quod tonsori mox est demittendum,  
Multis aptius fuit coronis ad ferendum.  
Quamquam Caesaris ornatus decoravit dorsum,  
Asperae cucullae tamen tolerabo morsum.

